

*Pri. 3. num. 37.*

17  
DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
PRIVILEGIO PECVNIAE  
IN  
REFECTIONEM AEDIVM  
CREDITAE

*1771, 12<sup>a</sup>*

*13*

QVAM  
P R A E S I D E  
CAROL. FRIDERIC. WALCHIO

IVR. DOCT. AC PANDECTARVM PROF. PVBL. ORDINA-  
RIO, SERENISS. DVCIS GOTHANI ATQVE ALTENBURG.  
CONSILIARIO AVLICO, CVR. PROV. SAXON. COMMVN.  
SCABINOR. COLLEG. AC IVRISCONSULT. ORDINIS AD-  
SESSORE, SOCIETAT. LATIN. IENENSIS EPHORO  
ALIARVMQVE SOC. LITTERARIAR.  
COLLEGA

*671 d*

D. VIII. APRIL. ANN. REP. SALVT. CIOIDCCLXXI.  
PVBLICAE DISQVISITIONI  
SVBMITTIT

IOAN. CAROLVS SALOMO THONIVS

OSTHEMIO-ISENACENSIS  
SOCIET. LAT. IENENSIS COLLEGA ET AB EPIST. ALTER.

I E N A E  
LITTERIS FELICIS FICKELSCHERRII.



1772

FRANZ JOSEPH  
KONIGLICH  
KURFÜRSTLICH  
BAYRISCHER  
RATH  
VON  
MÜNCHEN  
CAROL FRIEDRICH  
KURFÜRST  
VON  
BAYERN



A

SON ALTESSE SERENISSIME

MONSEIGNEUR

CHARLES AVGVSTE

DUC DE SAXE, IULIERS, CLEVE ET  
BERGUE, COMME AUSSI D'ANGRIE ET  
DE WESTPHALIE, LANDGRAVE DE THU-  
RINGUE, MARGRAVE DE MISNIE, COM-  
TE PRINCE DE HENNEBERG, COMTE  
DE LA MARCHE ET DE RAVENSBERG,  
SEIGNEUR DE RAVENSTEIN

MON TRES GRACIEUX

PRINCE HEREDITAIRE ET SEIGNEUR



SON ALTESSE SERENISSIME

MONSIEUR

CHARLES AUGUSTE

DU ROYAUME DE SAXE, DUC DE Saxe, Jureur, Comte de  
Hannover, Comte de Hildesheim, Comte de  
Ratibon, Comte de Lauenbourg, Comte de  
Rhinow, Comte de Mansfeld, Comte de  
Saxe, Comte de Hildesheim, Comte de  
Belamarche, Comte de Ravensberg

MON TRÈS GRACIEUX

FRÈRE



MONSIEUR,



Je prens la hardiesse d'offrir à  
VOTRE ALTESSE  
SERENISSIME avec  
toute la soumission possible, cette dissertation ornée  
de VOTRE illustre nom. La douce esperance d'une  
réception

*réception favorable anime mon dessein. Et la  
peur d'où naitroit - elle , à VOUS considé-  
rer , MONSEIGNEUR , comme de Fa-  
vori des Graces et de Themis , dont les Muses gar-  
dent soigneusement le portrait ?*

*Qu'il plaise à Dieu , Modérateur de l'uni-  
vers immense , de VOUS conserver de longues  
années dans l'état d'une santé parfaite , pour  
faire le bien public , pour faire florir les arts  
et les sciences , pour faire , comme un autre Ti-  
tus , la joie et les délices de VOS sujets.  
Qu'il lui plaise de protéger SON ALTES-*

*SE*





SE SERENISSIME, ANNE  
AMELIE MADAME VO-  
TRE MERE et la Mere de tous ses sujets.

Puisse - t - elle jouir à l'âge le plus avancé de  
l'agréable souvenir de l'enchainement de ses  
grandes actions. Qu'il lui plaise de conserver

SON ALTESE SERENISSIME  
MONSEIGNEUR VOTRE FRE-

RE. Voilà MONSEIGNEUR, les  
voeux les plus ardens, que fait pour VOUS  
et pour VOTRE SERENISSI-

ME MAISON le fils de celui, qui près  
d'un demi - siecle a rendu de fidelles services aux

SERE



SERENISSIMES MAISONS de  
Saxe - Weimar et Eisenac: mais qui n'aspire,  
qu'à la gloire de VOVS plaire et de se qua-  
lifier,

MONSIEUR,

à Jene  
le 8. d'Avril  
1771.

VOTRE très-humble, très-  
obeissant et très-soumis ser-  
viteur et sujet  
JEAN CHARL. SALOM. THON.





DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
PRIVILEGIO PECVNIAE  
IN REFECTIONEM AEDIVM CREDITAE.

SECTIO PRIMA  
DE ORTV ET PROGRESSV PRIVILEGII PECVNIAE  
IN REFECTIONEM AEDIVM CREDITAE.



CONSPECTVS.

DICENDORVM summa indicata, §. I.  
Leges Romanorum ad conseruan-  
dum decus urbis ante diui Marci  
tempora laetae recensentur, §. II.

Ac deinde illae, quas eundem ad  
finem diuis Marcus condidit, cu-  
ratius explicantur, ita, vt recita-  
tis iuris locis, qui illas continent  
§. III.

Et expositis diuersis, quas de iis-  
dem litterati fount, sententiis,  
§. IV.

Monstretur, primum harum in con-  
stitutionum censu locum tenere  
editum, quo pecuniae in refectione  
nem creditae privilegium tribu-  
tum est, §. VI.

Postea autem illud secutum esse Se-  
natus consultum, quod eiusmodi  
creditori pignus impertuerit §§.  
VI. VII.

Tandem, quid a Iulimiano hac de  
re sit ordinatum, definitur §.  
VIII.

A

§. I.



## §. I.

**S**ATIS quidem nota est sanctio, qua Romani securam reddere studuerunt pecuniam in refectionem aedium, vti vocatur, creditam, quum diuturnitate temporis illa haud euanuit; sed adhuc durat et quotidie in foris exercetur; istam tamen ea, quam meruit, ratione nondum esse expositam, abunde restantur quaestiones illae variae ac diuersae, quae in foro de ea in medium proferuntur; a nemine tamen iuriconsultorum sunt rite decisae. Quantum scimus, 10. DE BACK *a*) ac 10. ORDVIN. WESTENBERGIUS *b*) soli sunt prudentes, qui paullo curatius in ius istud inquisuerunt; sed neuter eorum disputandi huic argumento satisfacit; nec ob fines ipsis praescriptos forsan satisfacere potuit. Longius in praesenti progredi studebimus eandemque ob rem ante omnia originem celeberrimi huius privilegii indagabimus. Illa explicata, veram illius indolem exponamus hocque facto quaedam eius de vsu adiciamus.

## §. II.

**S**I cumulum omnium legum, quas populus Romanus ab incunabilis reipublicae tulit, paullo curatius peruolutamus, ex multis earum constareprehendimus, quantum ipsis fuerit curae cordique, splendorem urbis Romae conferuare

*a*) dissert. in *L. I. D. in quibus causis pignus*, vol. I. tom. III. thesauri dissertation. iuridicar. GERHARD. OELRICHS, p. 65.

*b*) diuo Marco, *diss.* XLI. p. 65.

uare ac cauere, ne illa aedibus ruinosis maleque materiatis deformatetur. Ratio, cur decemuii celeberrimam illam legem, de tigno iuncto a recentioribus ita restitutam: TIC-NOM IONCTOM AIDIBOS VEINIAIVE ET CONCAPET NEI SOLVITOD QVEI IONCSIT DVPLIONED DAMNATOR *bb*) conderent atque in illa domino tigni, quod alter aedibus suis iunxerat, eius vindicationem denegarent huncque solum in dupli solutionem condemnarent, in studio horum legislatorum, decus urbis conferuandi est quaerenda, hocque eo magis est admirandum; quo hebetiora erant tempora, in quae ipsorum aetas incideret. Perspiciunt illud iam antiquiores iuris-

A 2

ris-

*bb*) Mentionem huius legis faciunt FESTVS vocab. *tignum*: PAVLLVS L. 98. D. de solutionibus ac L. 23. §. 6. D. de rei vindicat. VLPPIANVS L. I. D. de tigno iuncto ac IVSTINIANVS §. 29. §. de rer. diuision. quibus L. 62. et 235. de V. S. L. 6. D. ad exhibendum nec non L. 63. D. de donat. inter virum et uxorem iungimus, vti inprimis monstrat IAC. GOTHOFREDVS leg. duodecim tabularum libr. III. tab. VII. tom. III. thesauri iuris civilis EVERARDI OTTONIS p. 113. Praeter doctissimum hunc iuriconsultum memoratam legem decemui-

ralem inprimis illustrarunt IAN. A COSTA, not. ad §. 29. I. de rerum diuis. CASP. ZIEGLERVS disp. de tigno iuncto §. 9. IAC. CUIACIUS libr. XXIII. obseruat. iuris civilis cap. 19. CHRIST. GOTTFR. HOFMANNVS histor. iuris Romano-Iustineanei, Vol. II. part. prior. p. 218. ALOYSIVS L. B. DE LOCELLA, tribus tentaminibus ad illustrandas leges XII. tabularum, Viennae, A. MDCCCLIII. tentam. III. cap. III. p. 171. et IOSEPH. ANTON. BRVNVS, dissertat. in ius civile, diss. VIII. p. 268.

risconfulti. PAVLLVS id clare testatur, quum dicit: *c)* *lex XII. tabularum neque soluere permittit tignum furtiuum, aedibus; vel vineis iunctum, neque vindicare. Quod prouidenter lex effecit, ne aedificia sub hoc praetextu diruantur.* Videmus illud non minus ex eo, quod si semel dirutum fuerit aedificium, vindicatio tigni haud denegaretur *d)*; imperator autem aequae ac eius interpres, THEOPHILVS eandem rem mirum in modum confirmant, quum ille, memorata hac lege decemuirali addit *e)*: *quod ideo prouisum est, ne aedificia rescindi necesse sit. Quo si aliqua ex causa dirutum sit aedificium, poterit materiae dominus, si non fuerit, duplum iam consequutus, tunc eam vindicare et ad exhibendum de ea re agere; hic autem ita ratiocinatur: καὶ πολλῆς τῆς ἐξ αὐτοῦ προνοίας ἠξίωσεν ὁ δωδεκάδελτος τὰς οἰκίας, atque sic multa per se cura XII. tabularum lex domos dignata est. f)* Haec quum sancita essent a decemui-

*c)* L. I. D. de tigno iuncto.

*d)* Iam decemuiui exceptionem legi suae addiderant, qua tigni aedibus nondum iuncti, vindicationem, teste FESTO voc. *sarptum* permitterent: hanc vero ob rationem idem statuebant iurisconfulti, ubi iterum ab aedibus esset separatum, uti constat ex L. 7. §. 10. D. de A. R. D. ac §. 29. I. de R. D. Non minus idem colligimus ex eo, quod distinctionem haud facerent, vtrum sit furtiuum;

nec ne; sed vtroque in casu loco tigni duplum tantum domino illius concederent. IAC. CVIACIUS *libr. XXIII. cap. 19.* aliam quidem in sententiam discedit; sed merito hoc nomine reprehenditur ab EV. OTTONE, *comm. in institut. libr. I. tit. I. §. 29. p. 231.*

*e)* §. 29. I. de R. D.

*f)* *paraphras. institut. libr. II. tit. I. §. 29. tom. I. p. 238. edit. REITZII.*

cemuiris: non minus specimen dedit prouidentiae, qua splendorem urbis conferuare studeret, praetor in edicto suo, quo caueret: *ne quid in loco publico facias inue eum locum immittas, qua ex re quid illi damni detur, praeterquam quod lege, senatusconsulto, edicto, decretue principum tibi concessum est: de eo, quod erit factum, interdictum dabo g*). LABEO h) iam testatur, praetorem etiam inter loca publica aedificia retulisse; inprimis autem eo tempore, quo caesares ad reipublicae sedebant gubernacula, legibus ac senatus consultis omnia ea remouere studebant, quae aliqua ratione decore aedes orbare posset illudque diminuere. Quoniam ii, qui nouas aedes aedificare uellent, saepenumero eum in finem aedes uetustas sibi comparare solerent, ut materiam, ex qua essent extructae, ad noua aedificia adhiberent i): prohibitum id esse constat senatus consulto CLAUDIANO. Neque HORMANNO; neque aliis, qui fata iuris Romani tradiderunt, si 10. AVG. BACHIVM k) excipiamus, illud notum fuisse uideatur; sed PAVLLVS kk) eius meminit ac recentiores, uidelicet THOMAS REINESIVS l) ac ANTON. FRANCOG.

A 3

RIVS

g) GVIL. RANCHINVS edicto perpetuo, libr. XXXXIII. tit. VIII. tom. III. thesauri iuris ciuilit et canonici GERHARDI MEERMANNI, p. 236.

h) L. 2. §. 3. D. ne quid in loco publico.

i) euoluas ISAAC. CASAV.

BONVM ad Spartianum, vit. Hadriani, cap. 18. et PETR. BYRMANNVM, in diff. de uestigal. popul. Romani, cap. 6.

k) histor. iurisprud. Romanae, libr. III. cap. I. §. 18.

kk) L. 52. D. de contrahenda emf.

l) class. VII. in script. 2.

RIVS<sup>m</sup>) publici id iuris fecerunt. Sequutus eum est Vespasianus quumque teste SVETONION<sup>n</sup>) vacuas areas occupare permitteret, et aedificare, si possessores cessarent: edicto quoque renouabat ea, quae in fenatusconsulto Claudio essent cauta. Constat id clare ex lege ALEXANDRI<sup>o</sup>), istud ad editum prouocantis; neque vllam rationem cum PETR. BVRMANNO<sup>p</sup>) ac IOANNE DE BACK<sup>q</sup>) perspiciere licet, cur mendum hac in lege esse cum IAC. CVIACIO<sup>r</sup>) existimare deberemus ac in Vespasiani locum Hadrianum substituere. Neque vero in eo adqueuerunt posteri; sed sub imperio Hadriani nouum condebatur fenatusconsultum, quod Aciolo Auiola et Corellio Panfa consulibus factum esse constat, quodue *Acilianum* vocat IAC. CVIACIVS<sup>s</sup>). In illo etiam imperator curam, quam antecessores solum in seruando vrbis Romae splendore monstrarent, ad alias vrbes extendit generatimque cauet, ne in vlla ciuitate domus transferendae ad aliam vrhem materiae causa diruantur. Testis est eius rei SPARTIANVS<sup>t</sup>); neque minus est probabile, non solum MARCELLVM<sup>v</sup>); sed etiam ALEXANDRVM<sup>x</sup>) illud ad fena-

<sup>m</sup>) *inscript.* p. 84.

<sup>n</sup>) *vit. Vespasiani*, cap. VIII.

<sup>o</sup>) *L. 2. C. de aedif. priuatis*,

<sup>p</sup>) *loc. laud.*

<sup>q</sup>) *diff. ad L. I. D. in quibus*

*causis pignus* cap. 5. in GERH.

OELRICHS *thesauro dissertationum selectissimarum*, vol. I.

tom. III, p. 106,

<sup>r</sup>) *libr. V. obs. iuris Romani*, cap. 26. p. 151.

<sup>s</sup>) *loc. cit.*

<sup>t</sup>) *in vita Hadriani*, cap. XVIII.

<sup>v</sup>) *L. 41. D. de leg. I. et L. 45.*

*D. de donat. inter vir. et uxorem.*

<sup>x</sup>) *L. 2. C. de aedificiis priuatis.*

Eadem ratione *edicti d. Hadriani*

*antiquati meminit L. 5. C. de at-*



fenatus decretum respicere; quum fenatusconsulti cuiusdam, destructionem aedium prohibentis mentionem faciunt; neque auctorem eius nominant. Certum vel minimum est, Vlpium Marcellum haud diu post Hadrianum floruisse y); neque minus editum Vespasiani aetate antecessisse illud fenatusconsultum eandemque ob causam maiori iure cum ANT. CONTIO z) sub isto Acilianum intelligere possumus; quam fingere cum CUIACIO mendum legis, quod haud exstat. Eadem ratione Alexander imperator providentiae eiusmodi documentum exhibuit; neque vero minus factum id esse constat a sequentibus imperatoribus.

## §. III.

QUVM omnes hi legumlatores cauere studeant, ne detrimenti quid caperet nitor, qui illustraret quondam caput illud mundi, Romam: neque hac in re officium in se desiderare

aedificiis priuatis, quod socio, aedificium restauranti inprimis faueret. Loquitur de illo IAC. CUIACIVS, *libr. XVIII. obseruat. cap. 20. p. 652. edit. VHLII.*

y) floruisse Vlpium Marcellum sub Antonino pio ac diuis fratribus videlicet diuo Marco eiusque fratre Vero, extra omnem dubitationem positum est. Probat hoc inprimis CAPITOLINVS, *vit. Antonini pii cap. 12. tom. I. scri-*

*ptor. Augustae, p. 277. L. 3. D. de his, quibus vt indignis ac L. 19. D. de testament. tutela. ABR. WIELING libr. I. lect. iuris civilis, cap. 7. p. 112. GOTTF. MASCOVIVS, de fest. Sabimianorum et procul eius, p. 90. EV. OTTO, praef. tom. I. thesauri iuris Romani, p. 18. cum aliis.*

z) ad L. 2. C. de aedificiis priuatis.

derare passus sapientissimus ille princeps, qui potissimum sub diui Marci nomine notus est M. videlicet AVRELIUS ANTONINVS PHILOSOPHVS; sed duplici ratione aedium ruinosarum rationem habuit, quum non solum iis, qui illas reaedificarent certa ratione dominium promitteret; sed ne iis vnquam facultates, ad id necessariae, deficerent, celeberrimo illo priuilegio, de quo iam disputamus, omnes illos, qui copiis rei familiaris essent locupletes, ad pecunias, in refectionem credendas, excitare studeret. Tres solum sunt loci iuris ciuilibus, quibus memoria sanctionis huius est seruata. Vno loco VLPIANVS *a)* scribit: *Item respondit: socius, qui cessantis cessantiumue portiones insulae restituerit, quamuis aut sortem cum certis usuris intra quatuor menses postquam opus resectum erit, recipere potest, exigendoque priuilegio utetur; aut deinceps propriam rem habebit: potest tamen pro socio agere ad hoc vt consequatur, quod sua intererat. Finge enim, malle eum magis suum consequi: quam dominium insulae: oratio enim diui Marci idcirco quatuor mensibus finit usuras, qua post quatuor dominium dedit.* Refert ibi, vti ex antecedentibus verbis pater, verba PAPINIANI; num autem ea, quae vltimo loco posita sunt, ratione inque decidendi complectuntur, illi; an VLPIANO tribuenda sint, haud liquet, licet mihi probabile sit, ea quoque a PAPINIANO proficisci. Concludimus illud ex eo, quod idem iurisconsultus est, qui altero loco hac de diui Marci lege loquitur *b)*: *senatus consulto, quod sub Marco, imperatore factum est pignus insulae,*

*a)* L. 52. §. 10. D. pro socio.

*b)* L. I. D. in quibus causis pignus.

*fulae, creditori datum, qui pecuniam ob restitutionem aedificii exstruendi mutuam dedit, ad eum quoque pertinebit, qui redemptori, domino mandante nummos ministravit. Tandem meminit quoque constitutionis similis diui Marci VLPPIANVS c) sequentibus verbis: Diuus Marcus ita edixit: creditor, qui ob restitutionem aedificiorum crediderit, in pecunia, quae credita erit, priuilegium exigendi habebit, quod ad eum quoque pertinet, qui redemptori, domino mandante, pecuniam subministravit.*

## §. III.

NON sine ratione omnium harum trium legum recitauimus verba, quum eas constitutiones nobis exhibent, quae vnicum fundamentum priuilegii pecuniae in refectionem creditae existunt: dignae iam sunt, quas paullo curatius lustremus. Quum in eo omnia haec effata conueniunt, quod DIVO MARCO adsignent legem, cuius mentionem faciant: nemo profecto dubitabit illam ei quoque tribuere. Neque tiro-nem fugit, quis ille fuerit, et in quae tempora eius aetas inciderit. Hanc ob rem lectores nostros ad ea, quae docte de illo disputauit IO. ORDVIN. WESTENBERGIVS d), ablegamus et solum ad tempus, quo imperator modo dicta fanciuit, et modum, quo id factum est, respiciamus. Quod ad illud spectat, annum quidem haud definire possumus, quo imperator memoratas vulgavit leges; certa tamen ratione ex loco CAPITOLINIE) conuicere possumus,

c) L. 24. §. D. quae in fraud. cred.

d) in diuo Marco, *diff.* I. p. 2. §§. e) in vita M. Antonini, cap. 8.

mus, quonam imperii ipsius tempore illud acciderit. Meminit inundationis Tiberis grauissimae, quae tempore Marci fuerit, tradit, multa urbis aedificia per eam rem vexata fuisse: eam plurima animalia interemisse ac famem diu dominantem peperisse ac dein addit, haec omnia mala Marcum et Verum sua cura et praesentia temperasse. Quum profecto haud euidentiùs imperator istam curam testatam faceret; quam si privilegium promitteret iis, qui aedificia volunt restaurare et simul occasionem, pecuniam ad id necessariam sibi comparandi suppeditaret, non sine similitudine veri adfirmare me posse spero, eandem hanc calamitatem augustum ad leges hasce condendas impulisse; neque villo modo probare possum coniecturam IO. DE BACK *f*), illas latas esse eo tempore, quo *data cunctis* teste AVRELIO VICTORE *g*), *promiscue ciuitas Romana, multae urbes conditae, deductae, repositae ornataeque atque imprimis Poenorum Carthago, quam ignis foede consumserat, Asiaeque Ephesus ac Bithyniae Nicomeda constratae terrae motu.* Tradere hoc loco VICTOREM, quae veritati haud sunt consentanea, ipse BACKIUS negare haud potuit, quum constitutionem de ciuitate Romana omnibus imperio Romani subiectis communicanda, quam Caracalla *gg*), vti constat omnibus, fecit, tribuit diuo Marco; ideoque nondum expeditum est, quantum fidei in reliquis, quae narrat, momentis ipsi sit habendum; quodsi vero quoque

*f*) diff. ad L. I. D. in quibus causis pignus cap. 4. thesaur. dissertat. iuridicar. vol. I. tom. III. p. 88.

*g*) de caesar. cap. XV.  
*gg*) EZ. SPANHEMIVS, in orbe Romano, ex II. cap. 2.

quoque illa in dubium vocare haud volumus, harum vrbium caussa Antoninum leges suas tulisse, statuere haud licet, quum in illis aedificia noua quidem essent extruenda; vetusta vero haud reficienda. Dubium quidem mouet BACKIVS sententiae, quam adoptamus, propterea quod LAMPRIDIUS <sup>h)</sup> duorum caesarum, Marci aequae ac Veri meminit; iurisconsulti autem diuo Marco leges, de quibus disputamus, adsignant; neque negandum est, triplici ratione Marci leges in iure memorari, quum illae vel ei solum; vel vna cum Vero; vel cum Commodo tribuantur <sup>i)</sup>; verum enimvero ille longe falleretur, qui sibi persuaderet, omnes eas leges, quae soli diuo Marco tribuantur, latas fuisse, quum Verus esset mortuus; neque a Marco Commodus in imperium esset adscitus; sed ei potius solus praeesset. Iam dudum GEORG. D'ARNAVD <sup>k)</sup> doctissime animaduertit, iurisconsultos diuo Marco

B 2

etiam

<sup>h)</sup> loc. memorat.

<sup>i)</sup> WIELING *iurisprudencia restituta*, part. I. p. 365.

<sup>k)</sup> *var. coniecturar. lib. II. cap. XVII. p. 325.* Quamuis Romani solerent, si duo augusti rempublicam tenerent, vtrique omnia, quicquid gereretur, tribuere atque illi vsque eo progredierentur, vt et ludos ederent communi imperatorum nomine, obseruante GISB. CYPERO, in *diff. de elephantis in nummis obuiis*, ex. III. cap. 8. tom. III. *thesauri noui antiquit. Ro-*

*manarum* ALB. HENRICI DE SALENGE: decreta tamen atque edicta vni saepe augusto tribuebantur. Quamuis cum Diocletiano Maximilianus simul imperaret, illi tamen solum tribuitur decretum in *L. 2. C. de muner. excusat.* In alia sententia Caracallae, quam memorat *L. 9. de decurion.* nomen desiderabis eius, qui illius fuit collega; neque minus idem obseruabis in aliis decretis, ab ABR. WIELINGIO, *iurisprud. restituta*, tom. I. p. 368. nominatis.

etiam illas leges nonnunquam tribuere, quae ab ipso eiusue collega sunt factae; neque eum falli, facili negotio demonstrari potest. Haec quum ita sic habeant; nihil impedit; quominus, inundationem causam legum fuisse putemus; quo vero posito, non possumus; quin statuamus, primis illis imperii annis, quibus Marci collega Verus exstitit, leges nostras esse conditas, quum, LAMPRIDIO teste, vterque damnum, inundatione illatum cura sua ac providentia reparare studeret.

## §. V.

HAEC de tempore, quo de splendore urbis Romanae bene meritus est constitutionibus, quas tulit, diuus Marcus: vbi autem quaeramus, qua ratione id factum sit, in varias partes discessisse videmus paucos illos iurisconsultos, qui istam quaestionem tetigerunt. Quum IAC. CUIACIUS <sup>l)</sup> tradit, imperatorem primum edictum promulgasse, hocque confirmatum esse senatusconsulto; propterea quod PAPI-  
NIANVS <sup>m)</sup> senatusconsulto, diui Marci tempore facto, tribuit, quod adscribit VLPIANVS <sup>n)</sup> edicto diui Marci, alio loco <sup>o)</sup> sententiam suam mutare videtur ac diuersa tantum capita vnus constitutionis in omnibus tribus legibus contineri putat. Contradicit ei PETR. BYRMANNVS <sup>p)</sup> ac  
fena-

<sup>l)</sup> libr. V. observationum, cap. 26. p. 151. ed. VHLII.

<sup>m)</sup> L. I. D. in quibus causis pignus tac.

<sup>n)</sup> L. 24 §. 2. D. de rebus auctori-

tate iud. possid. <sup>o)</sup> libr. XVIII. obseruat. cap. 20.

<sup>p)</sup> de vectigal. popul. Romani, cap. 6.

senatusconsultum primum conditum, hocque confirmatum esse edicto augusti, existimat. Efficit, vt 10. DE BACK q) mirum in modum haesiter, neque initio sciat, in quam sententiam discedat. Ingenue fatetur: *ego, quas in hoc celeberrimorum virorum dissensu partes sequar, haereo, non leui pro utriusque stante ratione* et haud semel rem perdifficilem et perobscuram esse, tenebras esse, clamat: tandem, viramque deserit sententiam ac diuersas ab PAPINIANO ac VLPIANO memorari statuit diui Marci constitutiones, propterea quod in vna de pignore, pecuniae in reflectionem aedium creditae competente; in altera de priuilegio, ipsi tributo, est sermo. Quum omnes hi litterati viri ad duo saltem effata, scilicet ea, quorum alterum ex PAPINIANO, alterum ex VLPIANI scriptis est sumptum ideoque tertii, in quo VLPIANVS PAPINIANI tradit sententiam, rationem haud habent: ad illum simul respicit 10. ORDVIN. WESTENBERGIVS r) ac tres diuersas constitutiones eo ordine ab imperatore vulgatas esse statuit, vt primum locum edicto adsignet, quo priuilegium personale saltem creditor eiusmodi nactus: hoc condito senatusconsultum securum esse putet, quo pignus illi sit triburum ac ab illo iterum senatusconsultum distinguat, a PAPINIANO memoratum. Tandem quaestionem hanc tetigit V. C. ERNESTVS CHRISTIAN. WESTPHAL rr) et certa ratione in sen-

B 3

tentiam

q) loco memorato.

r) diuo Marco, dissert. XL. p. 356.

rr) in dem Versuch einer systematischen Erläuterung der Röm. Gesetze vom Pfandrechte, p. 146.

tentiam WESTENBERGII discessit; eam tamen simul solam esse coniecturam declarauit.

## §. VI.

NOBIS non opus est, ut has examinemus sententias; sed ad rem ipsam accedimus ac monemus, duas esse constitutiones a diuo Marco in fauorem eorum, qui aedes reficiunt; vel ad earum restaurationem pecunias credunt, factas, easque probe a se distinguendas. Primum edictum promulgauit atque illo priuilegium solum exigendi creditori, si ad restituendam domum pecuniam mutuam dat, tribuit. Verba huius sanctionis ipsa, idque vel minimum ex parte ab VLPIANO s) nobis sunt conseruata atque illud discere possumus, quum ita *enunciatiue*, ut cum Grammaticis loquamur, ea profert: *Diuus Marcus ita edixit: Creditor, qui ob restitutionem aedificiorum crediderit, in pecunia, quae credita erit, priuilegium exigendi habebit.* Constat hoc ita clare, ut nulla egeat disputatione; neque uero difficile nobis est impositum negotium, ubi rationes indicare uolumus, cur non solum sanctionem hanc ab ea, quae in duabus aliis legibus memoratur, distinguamus; sed etiam primum illi locum assignemus. Docte animaduertit BACKIUS t), non semper ab edictis senatus consulta distingui, ac plurimis in locis iura principi soli tribui, quae senatus consultis sunt introducta. Libens id largior ac potius addo, eo maiori iure id fieri posse, quod

ab

s) L. 24. §. 2. D. de rebus au-  
toritate iud. possid.

t) diff. ad L. I. D. in quibus re-  
bus pignus, cap. III. p. 76.



ab Caesaris aetate teste C I C E R O N E v) omnia delata essent ad vnum, ex lege Regia x) legum ferendarum potestas Augusto esset data eandemque ob rem reuera sola principis voluntas senatusconsultis vulgaretur, quum comitia ad curiam tempore Tiberii essent translata; nihilominus memoratu dignum est, B A C K I V M' scriptores historicos tantum; neque vllum iurisconsultum testari potuisse. Qui legitimis sese consecrauerant disciplinis, discrimen inter senatusconsulta atque edicta ita obseruabant, vt legem nominare haud possimus, in qua edicto, quod senatusconsulto fuit introductum, tribuatur. Haec quum ita se habeant, iam ex eo documentum capimus, de alia constitutione V L P I A N V M: de alia P A P I N I A N V M loqui: quum ille *edicti*; hic autem vno loco *senatusconsulti* atque altero *orationis* meminit. Quum dein edicta, vt cuilibet notum est, sub libera Republica, atque eo tempore, quo ius legum ferendarum soli competeret populo, a quolibet magistratu superiori, a consulibus, ac in primis praetoribus aequae ac aedilibus promulgarentur: imperatores etiam ea aetate, qua formam reipublicae a se introductam occultarent, edicta dederunt et innumera in primis a Marco quoque vulgata sunt, quemadmodum laudatus IO. DE B A C K y) et IO. O R D V I N. W E S T E N B E R G I V S

v) *libr. III. epist. ad foem. ep. 9.* v) *de lege regia, Lugd. Batau.*  
 x) *conferas IO. FRID. GRO- C I O D C C X I I. et GERARD. NOODT,*  
 NOVIVM oratione de *lege re- diff. de iure summi imperii et lege*  
*gia, Lugd. Bat. C I O D C L X X V I I I. Regia tom. I. operum, p. 623.*  
 eius filium, I A C. G R O N O V I - y) *loc. laud.*

GIVS <sup>z)</sup> tradiderunt. Si tandem id respicimus, quod iusfit Marcus in constitutione, quam refert VLPPIANVS hocque comparamus cum iis, quae PAPINIANVS tradit ea de lege, cuius meminit: non minus duplex argumentum in eo deprehendimus, quod sententiam nostram corroborat. Quum senatusconsulto, de quo disputat PAPINIANVS <sup>a)</sup>, creditori pignus concedit tacitum, si in refectionem mutuam dedit pecuniam, atque oratione, de qua altero loco loquitur, solummodo socio aedes restauranti post certum temporis spatium dominium aedium refectorum tribuit: in edicto nostro tantum de eo, qui pecunias in refectionem aedium credit, agit ipsique solum privilegium exigendi personale tribuit, quod, uti infra monstrabimus, a pignore differt. Ingenue fateri nos oportet, perspexisse hoc iam BACKIVM <sup>b)</sup> et WESTENBERGIVM <sup>c)</sup>; sed restat adhuc aliud momentum. Vterque quidem iurisconsultus, PAPINIANVS aequae ac VLPPIANVS redemptoris meminit et quilibet de lege sua, cuius mentionem facit, illam quoque redemptorem tangere, statuit; verumtamen diuersa ratione. Quum PAPINIANVS <sup>d)</sup> pignus, inquit — — ad eum quoque pertinebit, qui redemptori, domino mandante, nummos ministravit, tempore futuro loquitur ac per id haud obscure significat, senatusconsultum ab ipso tantum ad redemptorem extendi: VLPPIANVS <sup>e)</sup> contra recitatis edicti

<sup>z)</sup> *Diuo Marco, diff. II. p. 37. fqq.*

<sup>a)</sup> *L. I. D. quibus in causis pign. tac.*

<sup>b)</sup> *loc. laud.*

<sup>c)</sup> *diuo Marco, diff. XLI. p. 256.*

<sup>d)</sup> *L. I. D. quibus in causis pign.*

*tac.*

<sup>e)</sup> *L. 24. §. 2. D. de reb. aucto-*

*ritate iud. poss.*

edicti verbis, addit, *quod ad eum quoque pertinet, qui redemptori, domino mandante, pecuniam ministravit*, atque ita de veritate huius propositionis conuictus est, vt haud dubitemus, ipsius redemptoris mentionem esse factam in edicto. Quemadmodum clare ex his, vti speramus, patet, distinguendam esse sanctionem Diui Marci ab istis, quas tradit PAPINIANVS; ita iure quoque illam primum a Marco conditam esse, adfirmare nos posse arbitramur. Quum tempore Marci vsque eo haud collapsa fuerit auctoritas senatus, vt corroborandum esset eius decretum edicto; sed maior vis inesse videretur senatusconsulto; quam soli edicto, quod contra BURMANNUM *f*) merito est notandum, profecto edictum haud fecisset MARCVS, si senatusconsultum adfuisset, quod faueret creditori. Neque vero minus idem ex eo colligimus, quod exigendi priuilegium creditori edictum; pignus autem senatusconsultum adsignauit. Quum creditor maiorem securitatem sibi conciliaret per pignus; quam per priuilegium exigendi: omnes eo, qui iam pignore praediti sunt tacito, initio in priuilegio personali adquiescere oportuit, donec illud gratia legislatorum in pignus sit immutatum. Clara eius rei exempla habemus tam in mulieribus *g*); quam in pupil-

C  
lis

*f*) de *vedigal. popul. Romani* cap. VI. Videmus id ex L. vn. C. de *SCtis*: euoluas IAC. GOTHOFREDVM ad L. 4. *Cod. Theodos. de senator. et glebar. et L. I. Cod. Theodos. de expens. lud.*

*g*) L. 74. *D. de iure dotium L.*

17. *D. ac sqq. D. de rebus auctor. iud. poss.* ERNEST. CHRIST, WESTPHAL, in dem *Versuch einer systematischen Erleuterung der sämtlichen Römisch. Gesetze vom Pfandrechte*, cap. VII. p. 238.

lis h) eamdemque ob rem inutilem rem suscepisset imperator, si creditori, cui per pignus tacitum prospexerit senatusconsultum, subuenire voluerit per priuilegium exigendi, quod ipse dedit.

## §. VI.

QVVM a Marco edictum, de quo iam disputauimus, promulgatum fuerit: longius dein progressus est ac senatusconsultum quoque condidit. Verba eius haud ad nos perueniunt; de illo tamen merito vtrumque intelligimus locum PAPINIANI, ideoque tantum abest, vt de diuersis senatus decretis in duobus his effatis PAPINIANVM loqui putemus; vt eum potius de vno senatusconsulto scribere statuamus. Concludimus illud ante omnia ex eo, quod legem, quam vno loco PAPINIANVS *senatusconsultum* vocat, altero *orationem* nominet. Qui in historia iuris haud prorsus est hospes ac peregrinus, illum haud fugit, eam sub caesaribus Romae obtinuisse consuetudinem, vt, quum senatusconsulta conderentur, praecederent, semper orationes caesaris, quas vel ipsi; vel quaestores candidati recitarent, Romanumque senatum ita adularum fuisse caesaribus, vt omni tempore discederet in sententiam principis, ipsi in oratione declaratam: hancque ob rem eius decretum cum illa prorsus conueniret. Non opus itaque esse putabant, vt litteris consignarent decretum; sed  
fatis

h) *L. 19. D. de rebus auctorit. iuleg. pupilli L. 19. D. de R. A. iud. poss.* Illustrauit legem hanc *I. P. eius heredi denegato*, IENAE PRAESES, programm. de pri- CIOCCCLXVIII.

fatis esse putabant, ubi orationem reponerent ideoque orationis sub nomine ipsum senatusconsultum indicabant. *i)* Neminem itaque fore speramus, qui non perspiceret, PAPINIANVM utroque in loco de senatusconsulto loqui; neque vero minus extra omne dubium est positum, imperatorem idem intendisse in sanctione, quam vno loco *k)* exhibet PAPINIANVS, quod in constitutione<sup>l</sup> intendit, ab eodem iurisconsulto altero in loco *l)* conseruata. Quilibet perspiciet, quod de pignore pecuniae in refectionem creditae a Marco in senatusconsulto tributo differat PAPINIANVS, eum in finem id ordinatum fuisse ab imperatore, ut eo facilius reficerentur aedes male materiatae; eundem vero ad finem id, quod altero loco a PAPINIANO profertur, ordinatum est. Quum Romae etiam id, quod adhuc accidit, euenisset, vtres communes, ob dissidium, quod inter socios ex rixarum illa matre oriri solet, inprimis negligerentur eandemque ob rem etiam aedes, si plures naetae essent dominos, breui tempore conciderent: huic malo iamiam Hadrianus subuenire studebat, quum ei socio, qui aedes sumtibus suis restauraret, statim dominium aedium communium solum ad-

C 2

iudi-

*i)* constant haec omnibus; neque egent probatione quadam. Lectores hanc in rem ablegamus ad IAC. SCHVBARTVM, de *fatis iurisprudēt.* [Rom. exerc. III. p. 375. CHRIST. OTTO A BOECKELEN, de *orat. principum*, in

GOTTL. SLEVOGTII *opusculis de sectis et philosophia iurisconsultorum* p. 110. et 10. FRID. MAGER *diss. de candidatis principis*, Lipsiae, MDCCCXXXIII.

*k)* L. 52. §. D. pro socio.

*l)* L. I. D. in quibus pignus tac.

iudicaret *m*). Renouabat certa ratione id Marcus memorato loco remque solum eo modo restringebat, vt quatuor mensium spatium relinqueret socio, quo restitutus ab vno socio aedibus, portionem sumtuum, ab iis ferendam, soluere p[er]mitteret; isto autem praeterlapso, condominio istum priuaret et solummodo eum, qui aedes reficeret, illarum dominum esse declararet. Memoratu est dignum, BERNHARD. AVTVMNVM, *n*) satis notum illum Momum, non perspiciere potuisse, quid sit, quod reliquos socios isto in casu dominii expertes voluerit Marcus huncque imperatorem isto nomine reprehendi ab hoc scriptore. Immo nec id perspiciere potuit, vt videtur, GREGOR. HALOANDER *o*) hancque ob causam negandi particulam propositioni: *malle eum suum consequi inferendam esse censuit*. Iure meritoque iamiam Iudeo notatus est ab ANTON. AVGVSTINO *p*) et SIGISM. REICH. IAVCHIO *q*); contra AVTVMNVM autem causam Marci optime defendit VLTRICVS HVBERVS *r*), quum hanc legem potissimum ostenderet latam esse ad splendorem vrbis seruandum. Eo quum accedit, renouasse tantum Marcum, quod maiores sanxerant: immo id angustioribus terminis circum-

*m*) L. 5. C. de aedificiis priuatis. Addas IAC. GOTHOFREDVM, not. ad h. l.

*n*)  *censura Gall. in ius Roman.* p. 220.

*o*) in  *digestis*, Norimbergae, CIODXXXIX. editis, tom. I. p. 265.

*p*)  *emendat. lib. III. cap. 17. tom. thesaur. iuris Romani EVERARD. OTTONIS, p. 1535.*

*q*)  *de negationibus pandectarum, cap. V. p. 70.*

*r*)  *eunomia Romana, libr. XVII. p. 631.*

scripsisse, iniuria profecto optimo principi fieret, si ideo reprehensione quadam dignum eum putare vellemus: nonne vero maxima cum verisimilitudine, si omnia haec curatius ponderamus, statuere possumus, vno senatusconsulto vtramque constitutionem a PAPINIANO memoratam comprehensam fuisse? Merito id expeditum habemus eandemque ob causam statuimus, illud senatusconsultum duobus constituisse capitibus, quorum vnum de aedificio ab vno socio contra reliquorum voluntatem resecto; alterum autem de pecunia, in restitutionem aedium credita, ea, quae indicauimus, introduxerit: orationem, qua id proposuit senatui augustus, antecessisse quumque ipsum decretum ad nutum imperatoris more consueto conderetur, orationem loco illius fuisse repositam.

## §. VIII.

QVAE diuus Marcus de pecunia, in refectionem credita, iusserat, ita sancte et religiose sunt seruata, vt sequentibus imperatoribus haud opus esset, illa constitutione quadam renouare et IUSTINIANVS primus esset, qui eius mentionem iterum faceret s). Factum est ea ratione, vt traderet, in controuersiam venisse locum, qui tali creditori inter creditores hypothecarios sit assignandus. Nullibi vestigium huius litis deprehendimus; sine dubio tamen illam insignia priuilegia, quae mulieribus ob dotes suas dederunt, excitant.

Decidit iam eam imperator, ita, vt ante omnia creditorem

C 3

torem

s) Nouell. XCVII. cap. 3.

to rem eius modi pecuniae prioribus hypothecariis praeferat; ab his tamen uxorem excipiat hancque etiam illi nonnunquam praeponendam esse censeat. Loquitur quidem de iis, qui pecuniam mutuam dederint ad *nauem comparandam, fabricandam ac reparandam* eis que illos solum adiungit, qui suis pecunias procurant *οικίαν τυχὸν διοδομηθῆναι*, quod tam vetus interpres; quam IO. FRID. HOMBERGK t) latine vertunt *domum forsitan aedificare*; comprehendere tamen sub iis quoque creditores, qui pecuniam mutuam dant ad refectionem aedium, imperatorem, clare ex iis verbis liquet, quae sequuntur. Quum antea dicit *novimus et antiquioribus creditoribus aliquas hypothecas praeponere iuniores existentes, ex privilegiis a legibus datis, quale est quando aliquis propriis pecuniis procuraverit navem comparare; aut fabricare; aut reparare; aut domum forsitan aedificare; aut etiam emi agrum; aut aliquid horum: addit in his enim omnibus priores existunt posteriores creditores, quorum pecuniis empta aut renouata res est, iis, qui etiam multo antiquiores sunt. Meminit dein eius, qui praetendat pecuniis suis emtam aut reparatam nauem; aut domum; aut agrum aut competere eum in his rebus, quae eius pecuniis emtae aut reparatae sunt, habere praedictum privilegium et tandem in fine adhuc haec profert: volumus igitur secundum hoc, ut si quis domum renouasset; aut etiam agrum emisset non possit talia privilegia mulieribus opponere.*

## SECTIO

t) nouell. constitution. Iustiniani, nouell. XC VII. cap. III. p. 674.



SECTIO SECVNDA

DE VERA INDOLE PRIVILEGII PECVNIAE IN REFECTIONEM  
AEDIVM CREDITAE.



CONSPECTVS.

<p>DISPVTANDI ordine proposito §. I.</p> <p>Primum in qualitatem pecuniae in refectionem creditae inquiritur, ita, ut, quum restitutionem aedi- ficii restituendi supponat, par- tim notio aedificiorum restituen- dorum explicetur, §. §. II. III.</p> <p>Partim ipsorum restitutio describa- tur, §. III.</p> <p>Hisque expositis de ipsa pecunia in</p>	<p>illam credita definitur atque eam in rem, cui illa sit credenda, §. V.</p> <p>In quo consistere queat, §. VI.</p> <p>Et qua ratione sit credenda, §. VII.</p> <p>VIII. VIII. traditur.</p> <p>Dein ad privilegia ipsa sese ver- tit oratio, ac monstratur, illa consistere non solum in pignore qualificato, §. X.</p> <p>Sed etiam pignore personali §. XI.</p> <p>Ac denique modi, quibus cessant, recensentur. §. XII.</p>
--	--

§. I.

SATIS disputatum arbitror de origine ac progressu privilegii nostri: iam eius indolem paullo curatius considerabimus. Ut id rite fiat, primum oculos conuertamus ad pecuniam ipsam, cui privilegium in legibus est tributum. Qualitate eius exposita, ad ipsum privilegium eiusue effectus propius accedamus hisque explicatis in modos genuinos inquiramus, quibus illud extinguitur.

§. II.

QVONIAM secundum leges solum pecunia, in restitu-  
tionem aedium credita, ea est, cui privilegium assignatur:  
illa



illa semper *aedium* supponit *restitutionem*; ea autem cogitari nequit; quam si adsint *aedes restituendae* haecque iam *restituantur*. Haec quum ita sint, ante omnia in euoluenda notione obiecti restitutionis studia nostra collocare debemus atque in illo duas animaduertimus qualitates, quarum altera in eo est ponenda, quod sit *aedificium*; altera vero in eo consistit, quod sit *aedificium restituendum*. Requirimus ante omnia, ut id, quod reficiatur, sit *aedificium*, idque ideo, quod non solum PAPINIANVS v); sed etiam VLPIANVS x) claris verbis aedificii meminerunt; sub eo tamen *omne id, quod solo contra aeris solisque iniuriam est superstructum* intelligimus. Haec quum ita sunt comparata: priuilegium nostrum nullo modo extendimus ad fundos aedificiis vacuos, hortos videlicet, agros vineasque, propterea quod obseruante FLORENTINO y) aedificiis opponuntur: de solis aedificiis loquitur imperator, diuus Marcus, et priuilegia, uti cuiuslibet est notum, stricte sunt interpretanda; ea autem ratione ex notione aedificii contra HARTMANN. PISTORIS yy) colligimus, haud interesse, utrum sint rustica; an urbana: utrum habitationi; an aliis commodis inseruiant. Qui sibi persuadet, insulas saltim Romae repertasuisse, in dubium forsitan vocabit sententiam nostram, propterea quod in insula creditori z) pignus tribuitur.

Neque

v) L. i. D. in quibus causis pignus tacite.

x) L. 24. §. 2. D. de rebus auct. iud. possidendis L. 25. D. de R. C. ac L. i. D. de cess. honorum.

y) L. 211. D. de V. S.

yy) quaest. iuris, libr. III. quaest. XV. p. 416.

z) L. i. D. in quibus causis pignus.

Neque minus refragari mihi videtur IUSTINIANVS a), quum villas aedificiis opponit eandemque ob causam summum virum, GEORG. ADAM. STRUVIVM b) in sententiam trahit, stricte *vocem aedificii sumi pro eo, quod usus urbani gratia, maiori cura et elegantius exstructum;* praeterea autem splendorem vrbis seruari haud videmus, si rustica tantum praedia reficiantur. Libentes hoc largimur; nihilo tamen minus distinctione inter aedificia hoc loco merito superfedemus. Haud desinit Marcus aedificia, ad quorum restitutionem pecunia sit credenda; sed aedificiorum generatim mentionem facit; iureconsulti autem sub iis omne id, quod solo superstructum est, intelligunt. ULPIANVS c) locupletissimus eius rei existit testis, quum *urbana praedia*, inquit, *omnia aedificia accipimus, non solum ea, quae sunt in oppidis; sed et si forte stabula sunt vel alia meritoria in villis et in vicis; vel si praetoria voluptati tantum deseruentia.* FLORENTINVS d) cum eo prorsus conuenit, quum aedificia in vrbana ac rustica; diuidit atque illa *aedes*; haec autem *villas* vocat; neque minus IUSTINIANVS e) id testatum facit, quum aedificiorum meminit, *quae in villa sunt aedificata.* Eo quum accedit, quod iura ab aedificiis vrbani ad rustica concludunt et quod de iis est sancitum; ad haec adplicant, vti ex eo inprimis liquet, quod seruitus praedii vrbani in aedificio quoque rustico f) locum

a) §. I. D. de rerum diuis.

b) de aedificiis priuatis, thes. VI.

c) L. 198. D. de V. S.

d) L. 211. D. de V. S.

e) §. I. I. de seruitut. praedior.

f) non est negandum, iam in-

locum habere possit: satis per id sententiam nostram corroboratam esse arbitramur. Neque vero obstant ei, illa, quae antea protulimus. Si insulam paullo curatius consideramus, illam ambitum ipsum separatum, in quo domus est extracta, significare, hancque obrem ab ipsis aedibus differre *g*) videmus. Non est negandum, illas, quae aliis essent iunctae; neque ambitu quodam ab iis separatae, ad insulas haud esse relatas *h*); ne syllabam tamen inuenimus in iure ac aliis monumentis, ex quibus colligendum esset, insulas solum in urbibus repertas fuisse. IAC. CUIACIUS *i*) animaduertit, vulgaria tantum aedificia insulas; nobiliora autem domus vocata fuisse. Conspirat cum illo FAM. NARDINUS *k*) et licet alii hac in re ipsis contradicant, vulgaria tamen aedificia ideo-

ter antiquiores iurisperitos controuersiam fuisse, num omnia aedificia ad praedia urbana sint referenda; nec ne, quum ULPIANVS discrimen inter vtrumque praedium *L. 55. D. de legat. 1.* in materia; in loco autem praeter NERATIUM PRISCVM PAVLLVS, *L. 99. D. de legat. 3.* poneret; sed iam DIOLETIANVS ac MAXIMINIANVS §. 16. C. de praed. minor. rem ita deciderunt, vt aedificia, omni delectu remoto, in urbano praediorum censum scriberent. Sequutus eum est ipse IUSTI-

NIANVS, *loc. cit.* Conferas ARNOLD. VINIVM, *select. iur. quaest. libr. 1. cap. 39.* GERH. NOADTIUM *comm. ad pandect. libr. VIII. tit. 3.* et V. C. IO. CHRIST. KOCH *diff. de praedio urbano et rustico*, lenae, MDCCCLVII.

*g*) *L. 31. §. ult. D. de legat. 3.*

*h*) breuitatis causa lectorem ablegamus ad IO. DE BACK, ad *L. 1. D. quibus in causis pignus*, cap. III.

*i*) *libr. XVIII. obseruat. cap. 21.*

*k*) *Rom. veteri, libr. III. cap. 4.*

ideoque etiam ea, quae in villis reperiebantur, ab insulis excludere haud conantur. Ex his quum merito colligimus, PAPINIANVM rustica aedificia a priuilegio per mentionem *insulae* non exclusisse: neque id ex eo sequi putamus, quod villis opponat aedificia imperator. Etsi aedificia rustica *villarum* nomine indicari solent, vti id est non negandum; docet tamen VLPIANVS l) sensu latiori aedificia partem saltem fuisse villarum, ideoque Iustinianum aedificia et villas distinxisse. Quum denique eum solum ad finem, vt ad pristinum splendorem vrbs reuocaretur, constitutiones promulgaret diuus Marcus; illas autem ex ea causa faceret, quod pecunia, quae ad aedificii refectionem sit credita, illud sit seruatum: rationem legis obtinere videmus in aedificiis, alieno aere refectis, etsi nullus adsit vrbs splendor, qui per illud esset custoditus.

## §. III.

NEQUE solum sufficit, obiectum refectionis esse aedificium; sed necesse quoque est, vt id sit *reficiendum*. Vterque iterum iurisconsultus id indicat, quum alter *restitutionis aedificii exstruendi*; alter autem *restitutionis aedificiorum memi-*

D 2

nit

l) L. 198. D. de V. S. Aliam ingreditur viam THEOPHILVS, quum sub villis hoc loco domicilia; alia autem aedificia sub aedificio, intelligit: ἕτω μίτρος, ὥστε τῶν κομῶν ἥτοι τῶν εἰρημάτων, καὶ τῶν ἐκεί διακεμένων μνημάτων ἢ καὶ

πισημάτων ἀνίχουσαι, sic tamen, vt villis, siue domiciliis et sitis ibi monumentis; nec non aedificiis abstinere; neque tamen per id de aedificiis urbanis solum locum hunc interpretatur.

nit restitutioque semper aedificium restituendum supponit. Quum restitutionem omni tempore cogitare possumus, ubi semel aedificium existit, hocque in pristinum statum sit ponendum, haud interest, vtrum solummodo sit *reparandum*; an *de nouo aedificandum*: vtrumue posteriori in casu vetustate sit collapsum; an igne conflagraueri. Non opus est, vt probemus, restitutionem locum habere in aedibus, quae adhuc stant ac solummodo sunt reparandae, quum id nemo indubium vocat; neque vero minus restitutio, de qua nos iam disputamus, in aedibus de nouo in locum pristinarum condendis obrinet. Animaduertentur illud iam GEORG. WOLFG. LAVTERBACHIVS *m*), PETR. MULLERVS *n*), IO. DE BACK *o*) IO. ORDVIN. WESTENBERGIVS *p*), FRID. ESAIAS PVENDORFIVS *q*). Eominus dubitamus, eorum in sententiam discedere; quo clariora sunt documenta, quibus illa firmari potest. Quum eum in finem diuus Marcus legem promulgasset, vt splendor vrbs seruetur: non potuit fieri; quin quoque aedium penitus collapsarum vel combustarum, quae potissimum dedecori vrbi essent, rationem haberent; illum autem etiam eiusmodi ad aedes respexisse, concludimus partim ex notione vocabuli *restitutionis*, quod vterque adhibet iurisconsultus; partim ex verbis: *aedificii exstruendi*, quae apud PAVLINIANVM *r*) leguntur. Et si

BAR-

*m*) colleg. theor. pract. tom. II.  
libr. XX. tit. II. §. 70. p. 86.

*n*) nat. ad Stru. exercit. XXVI.  
thes. 14. tom. II. p. 20.

*o*) loc. laudat.

*p*) Diuo Marco, diff. XLI. p. 357.  
*q*) obs. iuris uniuersi, tom. III.

p. 533.

*r*) L. I. D. quibus ex causis pignus.

BARTOLVS s) et cum illo quoque [ROBERTVS hoc nomine quoque ab infensissimo eius; aduersario, IAC. CUIACIOT) notatus, restitutionem solam refectionem speciatim dictam denotare persuasum habeant; clare tamen leges docent, latiore notionem sustinuisse penes veteres vocabulum *restitutionis* eamque etiam in aedibus, in locum aliarum de nouo ponendis, obtinuisse. Iam CICERO v) eius rei est testis, quum *restitui* adfirmat aedes, *quae corruerunt*; neque vero, minus euidenter hoc comprobant LABEO aequae ac VLPPIANVS: *Non tantum VLPPIANVS x)* inquit, *si aedes ad aream redactae sint, ususfructus exstinguitur; verum etiam si demolitis aedibus, testator alias nouas restituerit*; LABEO y) autem ait: *si insula, quam tibi ex pacto conuento licuit vendere, combusta est, deinde a debitore suo restituta, idem in noua insula iuris habebis*. Sicuti iam ex his liquet, etiam illud aedificium, quod de nouo fit aedificandum, aedificium vocari restituendum; ita idem potissimum quoque adparet ex *aedificio exstruendo*, cuius PAPINIANS meminit, quum sexcentis iuris ex locis constat, aedes exstrui, quas de nouo aedificamus; nec de veritate lectionis dubitandi rationes habemus, licet omittant vocabulum *exstruendi* libri ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ yy). Quum

D 3

porro

s) ad leg. citat.

z) animaduers. in Robert. 3. num. 4.

v) topic. cap. 3.

x) L. 10. §. 1. D. quibus mod. ususfruct. amittitur.

y) L. ult. D. depignor. Errat

BACIVS, quum hac in re ad L. 58. et 61. D. de Legat. 1. prouocare se posse putat.  
yy) libr. XXV. tit. III. §. 1. tom. III. p. 49. ed. CAR. HAN. FABROTI.

porro aedes restituendae non solum eas, quae iam vel in totum; vel ex parte corruerunt; sed etiam illas comprehendunt, quae tantum, ne corruant, sunt fulciendae, etiam restitutionem vtriusque illarum generis hoc loco cum ARNOLD. VINNIO 2) admittimus: quid vero, quaeso, praeterea argumentamur ex eo, quod *aedificium sit restituendum*? Nihil aliud; quam quod 1) illae aedes, quae in area antea haud superstructa sunt aedificatae a) ac 2) illae, quas earum possessor solum amplificare ac condecorare studet, eum fauorem haud habeant b), vt, qui ad id domino pecuniam crederet, priuilegio Marci dignum se redderet.

## §. III.

HAEC quum certa sunt ac expedita: ipsa eiusmodi aedium *restitutio* accedere debet, si pecuniam in eam creditam esse, adferere debemus. Ita est suscipienda, vt aedes pristinum in statum atque eum, in quo fuerunt; antequam corruerentur, ponantur ideoque facili negotio perspicere potest, eam sola in amplificatione vel condecoratione aedium haud consistere posse; neque pro ea aedificationem nouae domus in area nondum superstructa esse habendam: contra haud interesse, vtrum sola refectione speciatim dicta absoluat; an in aedificatione nouae domus in locum antiquae consistat.

Omnia

2) *libr. II. sel. quaestionum, cap. 4.*  
 a) VLRIC. HYBERVS, *praet. iuris civilis, libr. XX. tit. II. tom. III. p. 16. ac LAVTERBACHIVS, loc. laudat.*

b) LAVTERBACHIVS, *loc. excit. IO. DE BACK, ad L. I. D. quib. in causis, cap. 4. et IO. VOETIVS, libr. XX. digitor. cap. 2.*



Omnia haec ex iis, quae modo tradidimus, ita sponte sequuntur, ut merito nos hac in re ad illa referamus; iure tamen observamus, nondum finitam esse debere restitutionem illam, inquam pecunia fit credenda, si illius creditor privilegio diui Marci vult uti c). Non sine ratione de *aedificio exstruendo*; sive de aedificio, quod exstrui quidem debet; tamen nondum est exstructum, loquitur diuus MARCVS. Reuera quoque is, qui, finita restitutione, pecuniam credit, etsi istam ad soluendum aes alienum per restitutionem adhibeat, ad illam suscipiendam non praesto fuit ideoque, nondum absolutam esse debere refectionem, existimamus; vtrum autem istam coepta; an primum suscipienda, nostra parum interest.

## § V.

TALEM quum aedium restitutionem meditatur; aut iam suscepit illarum dominus, *ipsi* ad illam pecuniam, mutuam alterum dare oportet, vbi privilegio locus esse debet. Si legum verba paullo curatius consideramus, nemini; nisi *domino aedium* pecuniam hanc credendam esse, deprehendimus. Vterque quidem iurisconsultus, PAPINIANVS d) ac VLPPIANVS e) *domini ac redemptoris* mentionem facit ac illi quoque subministrari posse pecuniam, observat. Quum sub domino eum, cui competit aedificium quive illud restituere vult, intelligunt: extra omne dubium est, redemptorem iurisconsultorum ex sententia eum fuisse, qui locatione conductio-

c) HUBERVS, loc. memorat.

e) L. 24. §. 2. D. de rebus auctor.

d) L. 1. D. quibus in causis pignus. iud. poss.

ductione operis restitutionem peragendam pro certa mercede in se suscepit. Cognoscimus illud variis illis ex locis iuris ciuilibus ac scriptorum veterum, quibus redemptorum mentio fit. Si in iis persistere vellemus, quae de redemptoribus tradit *RESTVS f)*, existimare deberemus, solummodo redemptores opera publica facienda conduxisse; verum enim vero alii clare probant, eiusmodi redemptores in publicis aequae ac priuatis operibus adhibitos esse. Referimus inter eos *HORATIVM g)*, *TACITVM h)*, *FRONTINVM i)* ac *MARTIALEM k)*; cum iis autem multa coniungenda sunt iuris ciuilibus effata *l)*, in primis a *BARNAB. BRISSONIO m)* collecta. Recte quoque notionem redemptoris perspexit interpret graecus, quum redemptorem verteret: *εργολαβον n)*. Quum ea esset conditio redemptorum ac iurisconsulti etiam subministrare posse pecuniam illam in refectionem aedium redemptori: traderent; sunt, qui putant, non solum cum domino; sed etiam cum eiusmodi redemptore contractum mutui posse celebrari, obquem creditori priuilegium illud fit tribuendum. Immo *VLRIC. HVBERVSO o)* vsque eo progreditur, vt hominis

f) vol. redemptor.

g) libr. III. carm. od. I. p. 35.

h) libr. I. historiar. cap. 27.

i) libr. II. de aquaeduct.

k) libr. XIV. epigramm. 52.

l) L. 51. §. ult. L. 60. §. 3. D. locat. L. 17. §. penult. D. de usuris, L. 40. D. de R. V. L. 230. §. 3. D. locati.

m) de verbor. signif. libr. XVI.

p. 1179. Addas *BACKIVM*, loc. excitat.

n) libr. XXV. *ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ*,

tit. III. §. I.

o) praelect. iuris ciuilibus, libr. XX.

tit. II. tom. III. p. 17.

minis, qui in aere alieno contrahendo esset facilis, rationem habeat, illi, tamquam locatori opus faciendum locare dissuadeat iisque, qui infcio domino pecuniam redemptori mutuam dant, aduersus domum exstructam actionem tribuat hypothecariam; sed longe remoti sumus illius a sententia. Non sine ratione PAPINIANVS *p*) pignus memoratum ei, qui redemptori nummos ministravit tum demum concedit, si domino mandante id factum fuit: idem autem requirit VLPPIANVS *q*). Concludimus itaque ex iis, creditori haud obesse, quod pecuniam redemptori soluerit; illum tamen non prius eo in casu iure a diuo Marco introducto, frui posse; quam si dominus redemptori mandauerit, in restitutionem aedium aes contrahere alienum.

## §. VI.

HAEC de eo, cui pecunia sit credenda: iam ad id, quod credendum sit; siue pecuniam nos conuertimus. Sciendum est, vocabulum *pecuniae* in iure duplicem sustinere notionem. In sensu latiori pecunia id significat, quod est in patrimonio nostro. Illud demonstrarunt iam auctores duodecim tabularum. Conuenit cum iis HERMOGENIANVS *r*), *pecuniae*; nomine - omnes res tam soli; quam mobiles et tam corpora; quam iura continentur, idemque tradunt AVGVSTINVS *s*) atque alii scriptores ab ANDR. ALCIATOT), ZACH. HVBERO

*p*) L. 1. D. in quibus causis pignus.

*q*) L. 24. §. 2. D. de rebus auctor. iud. possidendis.

*r*) L. 222. D. de V. S.

*s*) de disciplin. christiana cap. 6.

*t*) comm. ad tit. de verbor. significat. p. 520.

E

ROU), IO. GOTTL. HEINECCIO x) ACEVERARD OTTO-  
NE y) memorati. Quod exstat in patrimonio nostro, in eo  
vel pretium inest ita determinatum ac certum, vt eo  
ceteras res metiri queamus atque aestimare; vel non ita est  
determinatum. Illud pecunia speciatim vocatur; hoc vero res,  
quam ob causam ad MODESTINVM z) prouocamus: ita constan-  
tante matrimonio permutari dotem posse dicimus, si hoc mulieri  
utile sit: si ex pecunia in rem; aut ex re in pecuniam idque pro-  
batum est, et ad PAVLLVM a), qui pecuniam distinguit a  
fundo. Haec quamuis ita se habeant, notio pecuniae semper  
latius sese extendit; quam pecuniae numeratae hocque iam be-  
le demonstrauit scriptor, cui hac in re fides omnino est ha-  
benda, TVLLIVS b) in loco: pecuniam sibi esse in nominibus;  
numeratam in praesentia non habere. Idem hoc testatur HER-  
MOGENIANVS c); neque ei refragatur VLPIANVS d) et  
quid quaeso ex eo argumentamur? Nihil aliud; quam quod  
1) numerata pecunia domino sit credenda, quod ex num-  
mis, redemptori subministratis et ad quas PAPINIANVS, Mar-  
ci senatusconsultum adplicat, clare constat: 2) quod non  
minus locum habeat priuilegium in quouis materiae genere,  
quod

v) praefat. iuris civil. libr. II.  
tit. IV. tom. I. p. 152.

x) antiquit. Romanar. libr. I.  
tit. XIII. p. 188.

y) praefat. tom. III. thesaur. iu-  
ris civilis praemissa.

z) L. 26. D. de iure dotium.

a) L. 56. D. de iure dotium.

b) libr. V. in Verrem, cap. 7.  
tom. I. part. I. orat. on. edit. IO.  
GEORG. GRAEVII, p. 310.

c) L. 244. D. de V. S.

d) L. 7. §. 3. D. ad SC. Mace-  
doniam. licet id WESTENBER-  
GIVS diao Marco, diff. XLI. p.  
357. existimet.

quod ad aedificium reficiendum suppeditatur, v. c. ligno, calce, lapidibus, marmoribus: immo 3) eandem ob causam quoque obtineat in mercede, quam dominus opificibus pro operis in reflectionem collatis, debet. Si excipiamus ANTON. A MARA *e*), nemo iurisconsultorum, e quibus CASP. ZIEGLERVM *f*), PETR. MULLERVM *g*), WOLFG. ADAM. LAUTERBACHIVM *h*), IO. DE BACK *i*), ac IO. ORDVIN. WESTENBERGLIVM *k*) nominasse sufficiat, ei, qui materiam saltem domino praebuit, ius hoc denegavit: eadem autem est ratio mercedis pro reflectione debitae sententiamque iurispublici fecit AVG. DE BALTHASAR, *l*), quae id, quod de illa tradidimus, abunde confirmat.

## §. VII.

HAEC pecunia iam domino in reflectionem aedium; siue potius earum restitutionem *credita esse debet*. Liquet hoc clare ex legibus memoratis; neque vlla eget probatione; nos vero duo ex ea ducimus coniectaria. Prius in eo consistit; quod *prius privilegium nostrum haud cogirandum sit; quam si in reflectionem quidquam sit creditum*: propositio, quam duobus, si paullo curatius illam consideramus, constare inuenimus.

E 2

mus.

*e*) de *concurf. libr. II. tit. V. §. 6.*  
et *tit. VI. §. 27*

*f*) ad *ord. proc. iud. elector. tit.*  
*43. §. 6.*

*g*) *not. ad Stru. tom. III. p. 268.*

*h*) *coll. theor. pract. libr. XX.*  
*tit. II. §. 69. tom. II. p. 85.*

*i*) *loc. memorat.*

*k*) *loc. laudat.*

*l*) *collat. iuris communis cum iure Saxonico, Lubecensi, et Mecklenburgico spec. Pomeranico, qua classificationem creditorum in concursu, p. 209.*

mus membris. Quum I) de *credita pecunia* in vna nostrarum legum sermo est, merito nobis in mentem venit, quod CELSVS atque VIPIANVS obseruant. Alter *credendi adpellationem generalem m)* esse adserit; alter autem rem curatius definit *n)*: *cuiuscunque rei adsentiamur, alienam fidem secuti mox recepturi, quid ex hoc contractu, credere dicitur.* Haec quum ita se habeant, merito colligimus, a creditore quidem, qui domino pecuniam in restitutionem aedium credere vult, contractum, vt aedes reficere queat, ita iniri debere, vt hic pecuniam quamdam isti debeat creditorque ei de illa fidem habeat; tantum tamen abest, vt solo in contractu mutui id locum habeat; vt idem quoque in emtione venditione materialiarum; locatione conductione operarum vel negotiorum gestione fieri queat. De duobus prioribus contractibus, videlicet emtione ac locatione, sponte sua ex eo haec sequuntur, quod §. VI. protulimus; neque vero minus certum est, de negotiorum gestione, quum iurisconsulti etiam illi, qui suis sumtibus aedes alienas reficiendas curat, pignus memoratum vno ore adsignant *o)*. Licet hisce in casibus sine distinctione priuilegium admittamus; semper tamen de pecunia supponimus II), eam *in refectioem creditam* esse debere. Neque illam vt propositionem probemus, necesse est, quum id ex vtraque lege patet; eo maiorem attentionem autem il-

la

*m)* lib. I. D. de R. C.

*n)* lib. I. D. de R. C.

*o)* Exemplum eius rei habemus in L. 52. §. 10. D. pro socio. 10.

MEIERS colleg. iuris Argentoratensi tom. I. p. 951. et WOLEG.

AD. LAVTERBACHIVS, loc. excit.

la meretur, quod ex ea concludamus 1) creditorem pecuniam eum ad finem credere debere, vt aedes restituantur: 2) illam ad refectionem quoque adhibendam esse et 3) vtrumque a creditore probari oportere.

§. VIII.

Quum ex his, quae a nobis sunt prolata, certum est ac constat inter omnes, creditorem eum ad finem pecuniam credere debere, vt reficiat suas aedes: sine dubio *primum* eo tempore credere debet, quo nondum perfecta est restitutio. Quum leges claris verbis aedificium exstruendum esse tradunt, vbi credatur pecunia: immo vsque eo progrediuntur iurisconsulti, vt privilegio huic locum esse negent, si quis solum aes alienum, quod in refectionem fecit, pecunia hac soluere velit *p*): neque creditorem in refectionem aedium pecuniam credere, statuere possumus, si ea iam sit finita. Simili ratione concludere debemus ex eodem consuetario, quod scire debeat creditor refectionem hicque eo consilio pecuniam debitori credat, vt reficiat ista aedificium. Haud interest, vtrum nihilominus debitor pecuniam ad refectionem adhibuerit; nec ne? sed neutro in casu creditor privilegiis illis, obseruantibus DAV. MEVIO *q*) et AVG. LEYSE-RO *r*) dignus censetur. Neque vero sufficit, eum in finem datam mutuam pecuniam esse; sed accedere *secundo* debet versio in

E 3

rem

*p*) VLTRIC. HVBERSVS, *praef. iuris ciuilibs, libr. XX. tit. II. tom. III. p. 17.*

*q*) *part. V. decis. 84.*

*r*) *Spec. 485. med. 2.*



rem. Supra id quoque ex eo collegimus, quod pecunia in rem credita esse debeat; neque contrarium eruere potest DAV. MEVIVS *r*) ex lege quadam VLPiani *t*), qua de obligatione personali exercitoris per contractum magistri loquitur, quaeue ad istam quaestionem, ut iam AVG. DE BALTHASAR *v*) docteanimaduertit, haud est adplicanda. Auctoritas MEVIA nostra, quam amplectimur, sententia nos haud deterreret; sed in ea, a reliquorum quoque iurisconsultorum, qui illam quaestionem atigerunt, cohorte adprobata, persistimus. Ex iis hanc in rem solum IO. BRUNNEMANNVM *x*), CHRIST. PHIL. RICHTERVM *y*), ANDR. GAILIVM *z*), AVG. BERLICHIVM *a*), BENED. CARPZOVIUM *b*), WOLFG. AD. LAVTERBACHIVM *c*) ac PETR. MULLERVM *d*) nominamus, ac hac ex propositione concludimus, creditorem, si integra pecuniae summa domino aedium earum ad restitutionem est adhibita, ob illam privilegium habere; ubi autem debitor partem eius saltem impenderit, ad illam quoque beneficium esse restringendum ac tandem illud penitus cessare, si debitor quidem in refectionem mutuam accepit; sed non ad id contulit. Si omnia haec vera sunt, uti sunt: nec in dubium vocari potest, uti speramus, consecrarium *tertium* de probationo-

*s*) loc. laudat.

*t*) L. fin. pt. D. de exerc. act.

*v*) de classificat. creditorum, part. II. sect. II. p. 39.

*x*) de processu concursus creditorum, cap. V. §. 39. p. 102.

*y*) de iure et privilegiis creditorum, diss. VII. p. 189.

*z*) libr. II. obs. 12.

*a*) part. I. conclus. 65.

*b*) part. I. const. 106. num. 5.

*c*) loc. exciit.

*d*) loc. memorat.



bationis onere, quod creditori imponendum sit. Quod ad finem attinet, in quem pecunia mutua est danda, nemo profecto existet, qui, id a creditore probari debere, negabit. Consentimus quidem minime cum iurisconsultis Helmstadiensibus e), qui id semper ex chirographo demonstrandum esse, existimant atque usum aliorum probandi mediorem creditori hac in re haud denegamus, si refectionis illius mentio ibi haud esset facta; nihilominus beneficium, a diuo Marco confirmatum, creditori prius haud concedere possumus; quam si probauerit, se ad refectionem pecuniam mutuam dedisse. Neque vero minus probationem versionis pecuniae in refectionem factae ab illo expectamus. Dissidium hac in re inter iurisconsultos esse, negare haud possumus; quumque BENED. CARPZOVIVS ee), AVG. BERLICHIVS f), IO. BRUNNEMANNVS g), IOACH. MYSINGERVSH), HENR. HAHNIVS i), IAC. FRID. LVDOVICI k) ac AVG. DE BALTHASAR l) idem statuunt, quod protulimus, ab iis IAC. CVIACIVM m) ac VLRIC. HVBERVM n) dissentire videmus. Quae quamuis ita se habeant: versionem factum esse cogitamus ideoque probandum, merito statuimus; coniecturas tamen creditori

- |   |   |
|---|---|
| e) apud LEYSER, spec. 485. med. 1.                  | XX. tit. II. num. 1.                                    |
| ee) part. I. const. 106. num. 5.                    | k) Einleit. zum Concursprocess, cap. X.                 |
| f) loc. excitato.                                   | l) de classificat. creditor. part. II. sect. II. p. 40. |
| g) de processu concursus creditorum, cap. V. §. 39. | m) lib. VIII. ad Afric. post princ.                     |
| h) libr. I. obseruat. 96.                           | n) loc. memorat.  |
| i) paratit. ad Wesenbecium, libr.                   |   |

ditori ad id inferuire posse, eo maiori iure cum iurisconsultis concedimus; quo maior esset difficultas, qua alioquin obstringeretur creditor. o)

## §. VIII.

PERVENIMVS iam ad posterius confectarium propositionis, initio §. VII. a nobis formatae hocque in eo ponimus; quod si quoque credita sit in refectionem pecuniam, nihil amplius requiratur; sed priuilegio nostro locus sit. Fuisse ferunt quosdam iurisconsultorum, qui existimarent, dominum speciatim rem, in cuius refectionem alter pecuniam mutuatam dat, oppignorare debere p); recte tamen iis vel minimum plerique refragantur. Satis notum est, pignus tacitum in eo ab expresso differre, quod constitutionem expressam haud requirat; sed sola in lege fundata sit; pignus autem creditori, de quo disputamus, tacitum denegare haud possumus. PAPINIANVS  
illud

o) LAVTERBACHIVS *colleg. theoret. pract. libr. XX. tit. II. tom. II.* p. 89. BENED. CARPZOVIVS, *part. I. const. 28. def. 106.* et PETR. MULLERVS ad *Stru. tom. III.* p. 269.

p) inter fautores aduersariae sententiae nominat WEIPERTVS LVDOV. FABRICIVS *tractat. singular. camerae imperial. obseruationum Mynsingeri, cent. I.* obs. 60. p. 97. HARTMANNVM PISTORIS AC HVGON. DONEL-

LVM; HARTMANN. autem PISTORIS, *quaest. iuris, libr. III. quaest. XV.* p. 415. FRANC. BALDVINVM, VANDERANVM ac FRANC. CORNANVM. Interim memoratu dignum est, PISTOREM, *loc. memorat.* BALDVINVM, de *pignor. cap. 7. tom. I. iurisprud. Romanae et Atticae, p. 271.* sententiam hanc haud probare. Reliquos scriptores, quos memorant, haud euoluimus.

illud clare testatur q), quum *pignus insulae creditori senatus-consulto datum esse*, significat; neque vero minus euidenter id comprobarunt auctores digestorum, quum effatum hoc P A P I N I A N I ex libro decimo eius responforum, quibus varias ac diuersas decidit quaestiones r), iis legibus iunxerunt, quibus de tacitis disputatur pignoribus.

## §. X.

H A E C de pecunia ipsa, cui iura tam euidenter fauent: iam ad alteram huius sectionis partem pergimus ac ipsum priuilegium consideramus paullo curatius, quo illam dignati sunt Romani. Consistit illud partim in pignore qualificato; partim in priuilegio personali, quod ei tribuitur. Si primum oculos ad illud conuertimus, definitione pignoris merito superfedemus, quae ne tironi quidem est ignota; sed partim ad rem, in qua illud locum habet; partim eius ad qualitatem respicimus. Confugimus iterum, rem exploraturi, ad P A P I N I A N V M s) nostrum ac vocabulum *insulae* deprehendimus, quum dicit pignus *insulae* datum esse. Superfedisse illo veterem digestorum interpretem, clare constat ex verbis ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ t): *ὁ δανειζὼν εἰς ἀνανέωσεν οἶκον ἢ κατὰ ἐντολὴν τῆς δεσπότης χορηγῶν τῶ ἐργολαβῶ ἔχει τὸν οἶκον ὑποκείμενον, qui pecuniam mutuum dedit ad restitutionem domus vel domino mandante redemptori ministravit, domum obligatum habet; verum*

F

enim

q) L. I. D. in quibus causis pi- palingenesia iuris, tom. I. p. 602.  
gnus. s) L. I. in quibus causis.

r) CAR. FERD. HOMMELII,

t) loc. laudat.

enim vero illius exemplum hac in re non sequimur. Idem PAPINIANVS v), cuius pericia ad latinum quoque sermonem sese extendit, vti optime monuit EVER. OTTO x), alio loco eiusdem libri haec profert: *adpellatione domus insulae quoque iniunctam domui videri si vno pretio cum domu fuisset comparata et utriusque pensiones similiter accepto latis rationibus ostenderetur*, et per id haud obscure nobis indicat, insulae nomen quidem saepenumero pro ipsis aedibus esse innumeris locis vsurpatum; reuera tamen proprie ab illis esse distinguendum ac sub ea totum domus ambitum intelligendum. Haec quum ita sese habeant: libenter quidem iurisconsultis, vti supra iam monuimus, suffragamur, quum statuunt, creditorem pignore suo eam tantum ob summam vti posse, quae ad refectionem est adhibita; illud ipsum tamen angustis terminis partis refectionis haud circumscribimus. Quoniam parte domus conseruata, ipsa domus conseruatur, pignus integram domum eiusque ambitum adficere statuimus, ac per id a celeberrimo iurisconsulto WOLFG. AD. LAUTERBACHIO y) desectimus, quum ob legem quamdam VLPIANI z) contrariam adprobat sententiam; neque perpendit, eum solum duobus creditoribus pro portionibus summarum, quas crediderunt, vnum concedere pignus. Haec de obiecto pignoris: restat eius qualitas. Conueniunt omnes iurisconsulti, creditorem pecuniae in refectionem creditae eo priuilegio esse munitum, vt etiam iis creditoribus,

v) L. 91. §. vlt. D. de leg. 3.

x) in *Papinian. cap. V. p. 68.*

y) loc. citat.

z) L. 7. pr. D. qui potiores in pignore.

toribus, quibus antea oppignerata fuit, praefendus sit. Fundamentum huius iuris non in constitutionibus diui Marci; sed partim in praeceptis iurisconsultorum; partim in IUSTINIANI lege est quaerendum. Quum prudentes teste VLPIANO *a)* iam docerent, *posteriolem potiolem esse priori, se, quod sequens credidit, in istam rem conferendam credidit*, clare rem definit IUSTINIANVS in sanctione supra memorata, quod contra LAVTERBACHIVM *b)* est notandum. Sine dubio summus vir ideo hac in re haeret, quod imperator creditores nominat, quibus pignus tacitum haud competit, quia hoc nomine expressa conuentione sibi prospicere debent *c)*. Id haud negamus; ex eo tamen haud sequitur, IUSTINIANVM non simul quoque eorum rationem habuisse, qui tacitam habent hypothecam. Loquitur generatim de iis, qui hypothecam habent et simul privilegio sunt muniti, quumque tacita quoque est hypotheca ac simul nominatim creditoris pecuniae in reflectionem pecuniae creditae meminit, sine dubio ei locum in secunda classe adsignat, quod hypothecariis antiquioribus eum praeferat. Haec quum extra dubium sunt posita: inter eos, qui eandem in classem scribuntur, pro temporis ratione, quo mutuam pecuniam dedit, sine dubio est locandus, adeo, ut vxori, quae antea dotem intulit, cedat; ubi autem id postea demum est factum, illi sit praeposendus. Concludimus illud quoque ex eo, quod IUSTINIANVS loquatur solum

F 2 de

*a)* L. 5. et 6. D. qui potior. in pignore.

*b)* loc. citat.

*c)* LEYSERVS, *specim.* 485. med. 2.

de muliere, quae antiquam habet dotem, eaque, cui posterior creditor ob pecuniam in refectionem aedium praeferrunt, cum IO. BRUNNEMANNO *d*), GEORG. AD. STRUVIO *e*) atque aliis ideoque iure reprehendimus AVG. DE BALTHASAR *f*), qui creditori locum assignat et sine distinctione illi uxorem praeferrendam esse, censet.

## §. XI.

CONIUNGENDUM cum his merito est privilegium personale, quod eadem ratione creditor iure sibi vindicare potest. Tradit hoc ULPIANVS *g*) tribus locis: *Diuus Marcus* inquit, *edixit: creditor, qui ob restitutionem aedificiorum crediderit, in pecunia, quae credita erit, privilegium exigendi habebit,* atque alio loco *gg*): *creditor qui ob restitutionem aedificiorum crediderit privilegium exigendi habebit,* ac tertio *h*): *creditori, qui ob restitutionem aedium crediderit, privilegium exigendi datur.* Supra iam monuimus, in legibus sub eiusmodi privilegio personale solum esse intelligendum, eandemque ob causam privilegariis creditores hypothecarios esse opponendos

*d*) loco excitat.

*e*) *ex. XLIV. thes. 50. tom. III. p. 271.*

*f*) *de classifcat. creditorum, p. 39.* Excipiendum esse creditorem, qui militiae emendae causa credit; illumque semper reliquis secundae classis creditoribus prae-

ferendum, *ex Nou. 97. cap. 4. liquet.* Aliam quidem exceptionem addit STRUVIUS *loc. cit. §. 50.* sed in iure haud fundata esse videtur.

*g*) *L. 34. §. 2. D. quibus in causis pignus.*

*gg*) *L. 25. D. de R. C.*

*h*) *L. I. D. de cess. bon.*

nendos *hh*). Quod; uti ex iis clare constat *i*); ita male FRANC. HOTTOMANNVS *k*) de pignore loca haec intelligit et potius IO. DE BACK *l*) aequae ac IO. ORDVIN. WESTENBERGIVS *m*) in eo conveniunt, quod locus per id saltem creditori inter eos, qui *personaliter*, uti aiunt sunt *privilegiati* tribuunt. Neque abrogatum id esse per senatusconsultum, quo pignus iis sit constitutum, perspicimus ex eo, quod VLPIANVS, licet multo post PAPINIANVM vixerit, id tradit eiusque effectum in digesta transtulit TRIBONIANVS eandemque ob rem effectus in foro adhuc producit, quemadmodum IO. BRUNNEMANNVS *n*) PETR. MULLERVS *o*) atque alii agnoscunt. Querimus itaque merito, quando creditori illud utile sit? Haud concedimus ANTON. AMARA *p*), eo uti illum, ubi nulli alii existunt creditores hypothecarii, quum non perspicimus, cur non, si hoc evenit, ius pignoris exercere debeat; sed statuimus potius, privilegio huic omnibus in casibus locum esse, quibus ex ipsa insula, quae ei tacite est oppignorata, illi satisfieri nequit. Convenit quidem dein cum aliis creditoribus *personaliter* privilegiatis; praefertur tamen cum

F 3 iis

*hh*) sect. I. §.

*i*) L. IO. D. qui potior. in pignor. L. 3. D. quod cum eo, qui in alien. potest. BARN. BRISSON, de verborum significat. libr. XIII. p. 1121.

*k*) in epit. D. in quibus caus. pignus num. 4.

*l*) diff. in L. I. D. quibus in caus. sis pign. cap. 4.

*m*) dno Marco, diff. XLI. p. 359.

*n*) ad L. 26. D. de rebus auctor. iud. poss.

*o*) ad Stru. ex XLIV. thes. 49. p. 269.

*p*) de concurs. cred. libr. II. tit. IV. §. 6.



iis omnibus creditoribus, uti vocantur, chirographariis simplicibus.

## §. XII.

RESTAT, ut adhuc modos percurramus, qui priuare solent creditorem pecuniae, quam dedit in refectionem aedium, memoratis iuribus. De priuilegio personali hac in re nihil memorandum est; de pignore monemus merito, modos communes ac proprios illud tollendi, paulo esse ditinguendos. Quum sub communibus eos modos intelligimus, quibus quodlibet pignus exstinguitur, superuacanei operis culpam, si illos recensere vellemus, haud effugeremus. Perfitimus itaque in modo proprio; siue eo, qui hoc saltem in pignore tacito obtinet, atque animaduertimus, expirare pignus illud penitus, aedibus, in quarum refectionem pecunia credita est, collapsis; vel combustis. Non me fugit, iurisconsultos, qui quaestionem hanc tetigerunt, inter se dissentire; neque solum WOLFG. AD. LAVTERBACHIVM *g)* verum etiam recentiori tempore AVGVSTIN. DE BALTHASAR *r)* in aliam discedere sententiam; verum enim vero alii praestantissimi viri, in quibus MERCVRIAL. MERLINVM *s)* CHRIST. PHIL. RICHTERVM *t)*, IO. BRVNEMANNVM *v)* nominasse satis habemus, iis merito refragantur. His eo maiori iure  
acce-

*g)* loc. excitat.

*r)* de classificat. creditor. part. diff. VII. p. 191.

II. sect. II. p. 41.

*s)* de pignor. libr. III. quaest. V. num. 78. p. 226.

*t)* de iur. et privileg. creditor.

diff. VII. p. 191.

*v)* ad L. I. D. in quibus causis

pignus tac.



accedimus, quum, cessante ratione, legem cessare, expeditum habemus; ratio autem legis, quae pignus introduxit, aedibus combustis, plane cessat ideoque etiam ea, quae alioquin in iure de pignore in area durante sunt cauta x), adplicare haud possumus.



SECTIO TERTIA

DE VSV PRIVILEGII PECVNIAE IN REFECTIONEM  
AEDIVM CREDITAE MODERNO.



CONSPECTVS.

<i>Vsvs privilegii hodiernus monstratur, §. I.</i>	<i>tuta, quae illius meminerunt, §. II. III.</i>
<i>Hancque in rem prouocatur partim ad iura prouincialia et sta-</i>	<i>Partim ad sententias a collegiis iurisconsultorum latis, §. III.</i>

§. I.

QVAE iure ciuili de pecunia, in restitutionem aedium sunt sancita: ea adhuc obtinere, extra omnem dubitationem est positum. In nonnullis Germaniae prouinciis saluberrima haec lex in iuribus prouincialibus aequae ac statutariis claris verbis renouata est, ita vt, quum iurisconsulti, vti monstrauius, eam diuersa ratione sunt interpretati, legumlatores mox horum; mox illorum sententiam adoptauerint ideoque nonnunquam  
in

x) *L. 21. D. de pign. act. L. 29. §. pen. D. de pignor.*



in eo perffiterint, quod Romanum ius cauet; nonnunquam autem ab illo paullulum recefferint, quum priuilegium hoc creditoris vel restringerent; vel extenderent. Aliarum in regionum iuribus hac de re litteris quidem haud quid consignatum inuenimus; nihilo tamen minus ibi eodem iure ob auctoritatem legum Romanarum creditores fruuntur.

## §. II.

SI illas in prouincias oculos coniciamus, quarum iura creditori eiusmodi prospexerunt, Saxoniam merito primum nominamus. In ea, quae electori paret, legumlatores priuilegium adhuc magis extendere haud dubitarunt, vt scite IOAN. HENRIC. BERGERVS y) animaduertit z): *Wann auch einer zu Erbauung und Besserung vnd Erhaltung eines Hauses oder andern Guthes Vorstreckung gethan, auch das es zu dem Ende geschehen, in der Obligation ausdrücklich gemeldet*

y) *elect. discept. forensium, tit. XLIII. obs. V. p. 1355.*

z) *ordinat. proc. Sax. vet. tit. XLIII. §. 6.* Abrogauit quidem hanc constitutionem elector in *Ord. process. recognita*, de ann. *MDCCCXXXIII. tit. XLIII.* postea autem illa denuo renouata est lege, ann. *MDCCCXXXIV.* promulgata, vt obseruat IO. HENR. BERGERVS, *loc. excitat. et ill.*

HENR. BROCKES, *obseru. sel. for. obs. XI. p. 6.* Ceterum euoluenda quoque sunt, quae CASP. ZIEGLERVS, *comm. ad processum iudic. Saxon. p. 191.* profert. Vtrumque BERGERVM aequae ac ZIEGLERVM eo nomine falli, quod legem hanc de quibuslibet quoque nouis aedibus intelligant, clare ex conditione, a legislatore adiecta, patet.

det hatte vnd erweislich wäre, das es eine Notturft vnd die aedes ruinosae gewesen, so hat er derowegen auf denselben Guth neben der stillschweigenden Verpfändung ein priuilegium, das er denen, welchen des Schuldners Guth zu vorn ausdrücklich verpfändet, mit der Zahlung vorgehet; neque vero minus sapientissimi principes Saxoniae, qui reliquis eius prouinciis imperant, in legibus huius priuilegii meminerunt. Factum est in ordinatione GOTHANA, quum ad classem secundam refertur a): derjenige, so zu Verbesserung oder Erhaltung eines Gebäudes oder Hauses oder auch eines Guths Geld hergeliehen daserne das herleyhen ausdrücklich zu dem Ende geschehen vnd das Gebeude dadurch in Wahrheit gebessert worden, es auch zu der Zeit, da die Schuld gefordert wird, noch unverändert vorhanden ist. Eadem verba legimus in ordinatione ISENACENSI b): in ducatu autem ALTENBURGENSI c) priuilegium hoc restrictum est, quum secundum claram legis sanctionem locus in secunda classe iis tantum creditoribus concedendus sit, qui ibi sunt nominati; sed frustra eum, qui in refectionem aedium credi-

a) Gothaische Gerichts vnd Proceßordnung, part. 1. cap. XVIII. §. 8. Quae §. 10. continentur: weiter die so zu — Verbesserung eines Guts dargeliehen, ihnen aber kein ausdrücklich Interpfand vorbehalten, haud sunt de aedibus interpretanda.

b) Gerichts Proceß vnd Exccutionsordnung H. Io. Wilhelm, tit. XXVIII. §. p. 181.

c) F. S. Altenburgische Gerichts vnd Proceßordnung, part. 1. cap. XXXVII. §. 14. et 15.

G



credidit, quaerimus eandemque ob causam ille non; nisi in tertia classe est locandus.

## §. III.

EADEM ratione extra Saxoniam iura quoque inuenimus, quorum conditores creditoribus nostris consulere studuerunt. Quae in BAVARIA sunt constituta, digna sunt, quae recitemus, quum abunde confirmant sententiam, quam supra adoptauimus d). In die vierde Stell. scilicet post famulos, gehören diejenige, so zu notwendiger Wiedererbaumung vnd Erhaltung eines Gebews oder anderer Sachen, damit dieselbe nit gar zu Grund gehen, Geld oder Baumaterialien herleihen, wie dan solche auch den altern Gläubigern, denen das widererbesserte Stuck zuvor verpfändet, bei solchem Stuck vorzuziehen seyn, doch anders nit, es werde dann bewisen, dafs solch Geld zu keiner andern Vrsach als allein zu notwendiger wider erbesserung vnd nicht etwann allein zu einem vnnutzlichen Lustbaw oder in ander Weg hergelihen auch solch Gut würcklich an die Verbesserung verwendet worden. Dux WÜRTENBERGENSISE) doctrinam iuris Romani quoque adprobat; oppignorationem tamen expressam requirit. Ignorant istam ac potius priuilegium ad eos, qui pecuniam in restitutionem alterius fundi crediderunt, extendunt ius BARVTHRVNVM f) HOHENLOICVM g); ac ius POMERANICVM

d) Gandt process des Fürst. Bayern, tit. I. art. 6.

e) Württembergisches Landrecht, part. 1. tit. LXXV.

f) Bayr. Landesconstitution, tom.

II, vol. I. corp. constitut. Brandenburgico-Culmbacensium, p. 215. sqq.

g) Hohenloisches Landrecht, part.

VI. tit. Lll. p. 214.

cvm *h*); cum illis autem iura quoque municipalia, quae decreta iuris Romani de pecunia in restitutionem aedium data confirmant, videlicet HAMBVRGENSIA *i*), FRANCOFVRTANA *k*, MEMMINGENSIA *l*) et ROSTOCHIENSIA *m*), etsi diuersa id fiat ratione, coniungere debemus.

## §. IV.

NEQVE vero inusitatum est priuilegium pecuniae, quam quis ad restituendum aedificium alteri dedit, iis in prouinciis, quarum legislatores talis creditoris rationem haud habuerunt, quum iure in Romano est fundatum hocque in subsidium in Germania est receptum. Etsi ea praecepta illarum legum peregrinarum, quae statui nostro haud sunt adcommodata, non valeant; tantum tamen abest, vt eorum in censum veniant, quae in fauorem eiusmodi nominum iure Romano sunt cauta; vt illa potius adhuc obtineant et quotidie in foro adplicentur. Locupletiores huius rei testes producere non possumus; quam sententias latas a summo prouocatio-

G 2

num

*h*) *Classificat. credit. Pomeran.*  
p. 4. et 5.

*i*) *Statut. Hamb. part. II. tit. V.*  
§. 8.

*k*) *Frankfurt. Reformat. part. I.*  
*tit. XLIX. §. 4. et 14.*

*l*) *der Reichsstadt Memmingen  
erneuerte Gerichts vnd Proceßord-  
nung, tit. XLIX. §. 44. p. 265.*

*m*) *Rostockisches Stadtrecht, part.*  
*III. tit. 1. §. 38.*

num collegio CELLENSI *n*); nec non a iurisperitis LIP-  
SIENSIBVS *o*), VITEMBERGENSIBVS *p*), ac HELMSTA-  
DIENSIBVS *q*), quibus tributa sunt privilegia iuris  
ciuilibus iis, qui debitori communi ad aedes reficiendas  
pecuniam crediderunt.

*n*) apud PVENDORFIVM  
tom. III. *obs. iuris vniuers. obs.* 194.  
p. 533.

*o*) Memorant eas BENED. CARP-  
ZOVIVS, *iurisprud. forens. libr. I.*  
*const. §XVIII. def. 105.* et RIVI-  
NVS *enunc. iuris, tit. XLIII. enunc.*  
38. sqq.

*p*) apud IO. HENR. BERGE-

RVM, *part. II. responforum, resp.*  
II. p. 186.

*q*) apud AVG. LEYSERVM,  
*spec. 482. med. 2. p. 510.* Eadem  
ratione ab illustri Scabinorum Ie-  
nensium collegio in causa credito-  
rum Io. Chr. Wehrmanns zu Molsch-  
leben, mense Febr. anni praeteriti  
pronunciatum est.



NOBI-



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
IOAN. CAROL. SALOM. THONIO

S. D. P.

CAROL. FRIDER. WALCHIVS OI

VESTIGIA persequeris, quae optimus frater TVVS ante aliquot annos posuit; antequam nostrum relinqueret mularum domicilium. In publicum prodiit omnibusque temporis in litteris bene consumti rationem reddidit certamine publico, ex quo maximam reportauit laudem. Cuius rei quum inprimis testis essem ac spectator, ob praesidis munus, quod mihi isto in conflictu demandauerat: vehementer profecto laetor, in eundem iam locum me hodie TE comitari posse, qui animo iam praeuideo omnes illas laudes, quas Tibi conciliabis. Quidne eas Tibi augurer, quum probis moribus, per tempus, quod apud nos commemoratus es omnibus TE commendasti, toto pectore in id incubuisti, vt perfectam iuris scientiam TIBI acquirereres, atque singularis in omnibus illius disciplinis aequae ac arte disputandi fecisti progressionem? Gratulor TIBI potius exitum literarii, quem meditaris, conflictus; antequam in illum descendis et simul pro TE venerandique TVI parentis, qui in TE nouum in posterum habebit oblectamentum et solatium senectutis, tabellas suspendo votiuas. Seruet TE deus per longam annorum seriem saluum ac incolumem omniaque, quae suscipis, fauste, feliciter prospereque euenire iubeat: TV vero benevolentia me prosequi perge. Ienae, d. viii. April. anno post reparatam salutem, CIOIQCCLXXI.

QIIV

H

PRAE-





PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

## RESPONDENTIO

S. D. P.

IO. AVGVSTVS REICHARDT


IVR. DOCT. ET P. P. O.

OPPON.

Lubentissime in me suscipio ex singulari quadam TVAE erga me benevolentiae abundantia mihi demandatum dissentientis munus, cum propter ipsam opportunam occasionem, TIBI addictissimam mentem publice testatam faciendi, tum vero maxime, quod etiam conflutissimo ac excellentissimo TVO parenti meum observantiae cultum testificari illique de filio auitarum virtutum herede, gratulari possim. Fuit sane in nostra academia haec TVI, VIR PRAENOBILISSIME, singularis studii, significatio haud obscura, quod, ut academia praeclarum diligentiae exemplum, patria civem optimae spei, et splendida TVA familia ornamentum in TE habeat, omnem dares operam. Cui non secundum est illud, quod jam aggressus es, negotium, in quo libellum hunc controuersum publice defendere sustines. Consequere igitur praemia, studiis hifce digna ac tibi persuade, quicquid TIBI, TVAEQUE familiae felicitatis atque fortunae obrigerit imposterum, eius magnam partem, ad laetitiam quod attinet, ad me quoque esse peruenturam, Ienae d. VIII. April. CIOIOCLXXI.

VIRO



  
 VIRO  
 CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
 IOAN. CAROL. SALOM. THONIO  
 S. D. P.  
 QVAE SVB AVSPICHS  
 ILLVSTRIS WALCHII  
 FLORET  
 SOCIETAS DISPVTORIA

INTERPRETE  
 HENR. LVDOVICO CHRISTIANO EVLER  
 BIPONTIN. LL. CVLTORE



**L**imites fere excedunt, VIR clarissime, gaudia nostra, quibus  
 TE, iam publicum studiorum TVORVM egregie peractorum, do-  
 cumentum edentem, excipimus. Vidimus TE, quam summa ani-  
 mi voluptate recolimus memoriam, saepius in priuatis nostris con-  
 fectibus, victorem, aut aduersarium, cuius tela verebamus, vi-  
 dimus TE dissidia nostra strenue alentem, sed ea aluisti, quae

H 2


omnes



omnes ad TVI aestimationem ac amorem rapuere, quae pacem  
inter nos sanctissimam conciliabant. Testes existimus TVAE,  
quam in studio Iuris collocaſti, ſolertiae et Vates ſumus felicitatis  
TVAE ac praemiorum quae TVA induſtria TVI labores, TVA  
Virtus vndique exſpectant. Dulciſſima ſemper quae TECUM degi-  
mus temporum ſit nobis recordatio! ſummam habe votorum in  
quibus fundendis vna omnibus mens eſt; quidquid TIBI opta-  
verimus, nobis eueniat. Vale. Scribebam Ienae d. VIII. April.  
anno CIOIDCCLXXI.



RE-

  
 R E S P O N D E N T I  
 PRAENOBISSIMO AC DOCTISSIMO  
 AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

I. B. C. EICHMANNVS

VINARIENS.

IVR. CAND. OPPON.

**E**x quo die, ad amicitiam TVAM accedere mihi contigit praeter insignem ingenii bonitatem semper in TE perspexi maximum litterarum amorem in iisque proficiendi studium ardentissimum. Nunc doctrinam TVAM et solidam et elegantem, vim sermonis atque flumen, prudentiam quoque qua polles civilem admiror. Quid igitur mirum si eruditione multos antecellis atque virtute? Quid mirum, si sine omni timore Jurisconsultorum adscendis cathedram, dissertationemque doctissimam mirabili defendis dexteritate? Quid mirum, si quisque TE e certamine erudito superiorem discedere animaduertit? Gratulor itaque TIBI de hoc diligentiae TVAE egregio specimine deque honore, quem inde es consecutus. Patriae gratulor ciuem multis honoribus dignum bonoque publico natum. Mihi et denique gratulor amicitiam TVAM quam valde expeto, quod vt me praesentem, ita absentem dignum velis putare rogo. Vale ac mihi faue. Ienae d. VIII. Aprilis ann. reparatae salutis CIOIOCLXXI.

H 3

*Signor*



*Signor mio molt' Illustrè,*

L'onore, che V. S. mi fa nel volere, che sia il Suo Opponente in occasione della Sua disputa publica m' impone indovere di far LE la mia gratulazione, e di dichiarare la mia divozione verso di LEI. Spesse volte sono stato testimonia della di LEI erudizione spesse volte hò maravigliato il di LEI bell' ingegno. Sono persuasissimo, ch'ELLA vedra un giorno la ricompensa del Suo Studio ed il frutto del Suo sapere. Hò l'onore d'assicurarLA, ch'io prendo la più gran parte alla di LEI fortuna e che mi stimerei felicissimo, se potessi mostrarLE cio, che sente 'l mio cuore. Perseguiti d'onorararmi colla Sua amicizia, e sia persuasa che sempre farò il mio possibile, per mostrarLE, quanto sono,

*Signor mio molt' Illustrè*

in Gièna,  
li 8. d' Aprile 1771.

il di LEI servidore umilissimo  
F. A. ROSENTHAL  
del paese di Bronsviga  
memb. della soc. Lat. in Gièna  
ordin.

MON-



MONSIEUR,

C'est avec le plus grand plaisir du monde, que j'accepte l'honneur, dont VOUS m'honorés de me choisir pour Opposant. Je regarde VOTRE offre comme une marque de l'amitié inviolable que VOUS avez toujours eue pour moi, et que VOUS me témoignez aussi aujourd'hui, en me faisant naître l'occasion de profiter des grands progrès, que VOUS avez faits dans les études. Allez accepter la couronne que Thémis VOUS va donner pour VOTRE solide érudition. Soyez utile à Votre Patrie, et jouissez de toutes sortes de bonheur. Je VOUS le souhaite de tout mon coeur, et je crois avec sûreté qu'en peu VOUS jouirez des fruits de Votre diligence. Ayez la bonté, Monsieur, de me continuer Votre amitié, et de croire, que je ne cesserai jamais d'être avec l'estime la plus parfaite

MONSIEUR,

à Jene  
ce 6me Avril 1771.

VOTRE

très humble serviteur et sincère ami  
DAN. HENRI HASENTIEN.  
de Lubec.

MON-



MONSIEUR

Mon très honoré Oncle,

Comme j'ai toujours pris part au progrès, que VOUS faisiez dans VOS études, VOUS jugerés bien, que ma joie est sans pareille de Vous voir monter en chaire, pour défendre la docte dissertation que VOUS mettés en jour et qui va faire connoître votre capacité. Je VOUS en félicite de tout mon coeur et je prie Dieu de VOUS faire prospérer dans tous vos desseins, de VOUS conduire par tout ou vous irés et de VOUS faire cueillir de riches fruits de vos peines et de vos veilles. J'espere, que VOUS m'honorerés aussi pendant l'absence de votre souvenir, comme celui qui sera toute sa vie,

MONSIEUR

Mon très-honore Oncle,

à Feno

le 30. de Mars 1771.

VOTRE très-humble et très obeissant  
serviteur et neveu,  
PHILIPPE HENRI CHRETIEN KOEHLER.  
Etudiant en Droits d'Osheim.









Jena, Diss., 1770-71

ULB Halle

3

004 216 091



W 18





*Pr. 3. num. 37.*

*17*

*1771, 12<sup>a</sup>*

*13*

DISSERTATIO IVRIDICA  
 DE  
**PRIVILEGIO PECVNIAE**  
 IN  
 REFECTIIONEM AEDIVM  
 CREDITAE  
 QVAM  
 P R A E S I D E  
**CAROL. FRIDERIC. WALCHIO**

IVR. DOCT. AC P  
 RIO, SERENISS. I  
 CONSILIARIO AV  
 SCABINOR. COLL  
 SESSORE, SOCIE  
 ALIAR

*611 b*

D. VIII. A  
 P V B L I

IOAN. CAR  
 O  
 SOCIET. LAT. I

LITTER

